Digitized by Google

Digitized by Google

8
8 E
5

Digitized by Google

T
VIII
18

Mons.re Pallotta a S. Gio: Laterano

Digitized by Google


REVE^m P. F^RIS NICO
LAI RODVLPHY SAC
ET APOS
OLICI PA
LATY
MAGISTRI ORDINIS PRÆ
DICATORVM
ANNO 1623
SOCIVS
ALIS ET
GENER
PRÆDICATOR
NVS
BISCIO
FR ANDREAS

ARS AD SOLVENDA OMNIA ARGVMENTA HÆRETICORVM CVM EVIDENTIA FALSITATIS EORVM.

Ex doctrina S. Thomæ Aquinatis, & Sanctorum Patrum.

Cum Practica eiuſdem Artis ad confutanda Hæreticorum dogmata, iuxtà ſacrorum Conciliorum ordinem; & cum Practica etiam reſponſionis ad Argumenta Hæreticorum, qua fallaciæ eorum deteguntur, cum euidentia falſitatis.

AVCTORE
D. IOANNE A S. STEPHANO ET FALCES,
Ex Regno Aragoniæ, Ordinis S. Hieronymi Hiſpaniarum, & Monaſterij Sancti Michaelis Regum Valentiæ profeſſo, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Archiepiſcopo Brunduſino, & Regio Conſiliario.

Cum Indice Capitulorum, Verborum, & locorum ſacræ Scripturæ.

Tomus Primus.

AD SANCTISS. D. N.
VRBANVM VIII.
PONT. MAX.

EX LIBRIS R.P.F. ANDREAE BISCIONI

Capuccinorum



Romæ

ROMAE, Ex Typographia Alphonſi Ciacconi. MDCXXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

EX *commiſſione* Reuerendiſs. *Fr.* Nicolai Rodulfi Sacri Palatij *Magiſtri; vidi librum cui titulus eſt Ars ad ſoluenda omnia Hæreticorum argumenta cum euidentia eorum falſitatis, Auctore* Illuſtriſs.& Reuerendiſs.D.D.Ioanne à S.Stephano & Falces Archiepiſcopo Brundiſino, *& in eo non reperi aliquid contra fidem* Catholicam,*contra bonos mores; immo cenſeo illum eſſe typis mandandum ob publicam vtilitatem, In quorum fidem me ſubſcripſi die 5.Aprilis 1623.* Ego D.Raphael Raſtellius Cler.Regul. Theologus , ac vtriuſque Iuris Doctor ; Necnon reductionem hereſum ad methodum pro reſponſione facienda ad argumenta, & ſimiliter nihil reperi impreſſione indignum.

Idem D.Raphael.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs.P.Mag.Sac.Pal.Apoſt.

A. Epiſcopus Hieracen.Vicesgerens.

Imprimatur

Fr.Dominicus Paulaccius,Mag.& Socius Reuerendiſs., Fr. Nicolai Rodulfij Ordinis Prædicatorum Sac.Apoſt.Pal.Mag.

S.MO D. N.

VRBANO PP. VIII.

PONT. MAX.

SVMMO Artifici, nouam conſecro Artem, ſi factum audax, debitum tamen obſequium, tanto Principi, tantum dedico munus, licet enim pro auctore minimum, pro materia tamen ſupremum, & quamuis auctoris humilitas exinaniat opus, dum tamen S. V. pedes attingit, eleuabitur : innumeri ſunt, qui hæreticos priſcis illis, noſtriſque temporibus oppugnarunt hæreſes, tamen illarumque fallacias, eradico (ſi fas eſt dicere) ſolus; opuſculum hoc, Beatiſsime Pater, ne contemnas, licet enim tuarum ſcientiarum pelago parum aquæ offerre, inæſtimabile ſit, debitum eſt tamen naturale, omnes riuulos ad ſuum reuerti mare. Protege igitur, aliquando à te laudatum opus, vt alacriori audacique animo maiora procurem.

Humiliſs. ſeruus Sanctitatis Veſtræ

Ioannes Falces Archiep. Brunduſ.

agnouerint Ducem, quo mediante à via caliginoſa ad ſalutarem luminoſamque, facillimo negocio conuertantur, noſtraque tempora feliciora, quanto, numeroſa Hæreticorum cohors libro tuo diſſipata deſtruetur; Tandem bône Paſtor, zelo Chriſtianæ Religionis abundans, nôn ſolum commiſſum pecus, verum ac vniuerſas oues inſtruis argumentiſque tutaris. Vale diu ac pro bono Eccleſiæ viue.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. IO. A S. STEPHANO ET FALCES

ARCHIEPISCOPO BRVNDVSINO ET REGIO CONSILIARIO.

Ioannes Philippus in ſignum grati animi.

RErum inuentoribus aras conſecrauit antiquitas; & quantum ego ſapio, non immerito: inuentio quippe inſtar creationis eſt: hæc verò non niſi Dei tantum.

Quæ tibi, quæ nam digna viro pro talibus auſis
Præmia poſſe rear ſolui?
Aras? non indiges; ara eſt ipſum opus, quod nec Iouis ira, nec ignis:
Nec poterit ferrum, nec aui abolere vetuſtas.

Erexiſti monumentum ære perennius, & qua doctrina, quo iudicio, & qua inuentione? Dignum tua, & dignitate, & nobilitate. Vigilantem paſtorem decet non ſolum ouibus conſulere vt benè habeant, ſed à lupis tutari. Vtrumque immane! quantum præſtas! Doctrina paſcis, ſeuera falce hæreticorum ſenticeta runcinando, non tutas, verum, & ſecuras effeciſti. Digna Hercule meſſis; Dignior tanta meſſi falx eſt. Perge, doctiſſime Præſul, Eccleſiam Catholicam lætiorem te filio, Patriam Aragoniam tuis fœtibus illuſtriorem redde. Viue, & vale.

Nicolai Taſsi ſacræ Theologiæ Philoſophiæ, & I.V.D.

HAud expectauit meſsis data tempora Chriſtus,
Vt ſacras praua fruge piaret agros.
Ipſe etenim ancipitem ſuſcepit acumine FALCEM
Et mala differuit gramina vtraque manu.
Tolle oculos Aragon, radiantem murice FALCEM
Inter & alta tuam ſidera cerne ſitam.

Plaudite mortales, cæleſtes plaudite, MAGNI
Concinite ARAGONIS parta trophæa manu.
Cadmæas pugnax acies inſtruxit Aurmus
Ille ſacra armatam FALCE metit ſegetem.
Hæreſeon truncata phalanx iam concidit, arma
Quæ fuerant belli, fœdera pacis erunt.

ADMO-

ADMODVM ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

IOANNIS MATTHAEI CARYOPHILI

ARCHIEPISCOPI ICONII

IN LAVDEM ARTIS ET AVCTORIS.

Epigramma.

ARte ligat mentes, qui dura ſophiſmata nectit;
Soluat vt Ars Artem qui docet, ecquis erit?
Et qui Falce docet ſpinoſa ſophiſmata tolli,
Quantus zizanij depopulator erit?
Artem lector habe, Falcem cape; Falcis & Artis
Dat tibi Ioannes Falcius arma, viam.

In laudem Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D.

D. IOANNIS DE FALCES

A SANCTO STEPHANO

ARCHIEPISCOPI BRVNDVSINI.

PAſtor Aragonius? Paſtor: quid Falcifer ergo?
Paſcua ne noceant, gramina Falce metit.
Quam bene Paſtoris ſequitur veſtigia Chriſti?
Altera cui Falcem palma habet, vna pedum.

Andræas Baianus Luſitanus Theologus.

DISTICON.

HÆreſis omne genus creſcat, nam FALCIFER occans.
Hæreſis omne ſcelus ducit ad interitum.

Non expectata cur hac zizanij meſſe?
Falx metit, à Domino quod prohibetur opus?
Scilicet ingenij laus eſt: Falx aurea ſentim,
Illaſa vt lolium fruge manente ſecet.

Peretti Tarentini.

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS DE ORDINE INTENTIONE AVCTORIS ET PRINCIPIIS HVIVS ARTIS.

CAPVT PRIMVM.

De Ordine.

INTER alia, quæ homines de ſapiente conci-
piunt, ex Ariſt. 1. Metaphyſ. cap. 2. eſt ordinare, 1. Met. c. 1.
& ideo ſapientes dicuntur, qui res rectè ordinant,
& eas benè gubernant ex 2. topic. cap. 1. Finis ve- 2. Top. c. 1.
rò dat regulam ordinis, & gubernationis. Quia
vnaquæquè res tunc optimè diſponitur, cum ad
ſuum finem conuenienter ordinatur. Finis au-
tem vniuſcuiuſque eſt bonum, quod eſt vltima ſua perfectio; & in
hoc ſenſu dicitur etiam ſapiens prudens. Prouerb. 10. Sapientia eſt Prou. 10.
viro prudenti.

Sapiens vero propriè dicitur, qui de difficillimis, & altiſſimis cau-
ſis per certitudinem conſiderat ex Ariſt. 1. Metaphyſ. & 6. Ethic. 1. Met. & 6. Ethic.

Nomen autem ſapientis ſimpliciter illi ſoli competit, cuius conſi-
deratio circa finem vniuerſi verſatur. Finis autem vltimus vniuerſi
eſt bonum intellectus, quod eſt veritas; & ſic veritas eſt vltimus finis
totius vniuerſi, & circa eius conſiderationem principaliter ſapientia
inſiſtit. Ideoq. ſapientia diuina carne induta ad veritatis manifeſtatio-
nem ſe veniſſe in mundum teſtatur, dicens Ioan. 18. Ego in hoc natus Ioan. 18.
ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.

Digitized by Google

1. Met. Similiter & prima philoſophia ſecundum Ariſtotelem dicitur eſſe ſcientia veritatis, illius ſcilicet, quæ eſt origo omnis veritatis, quæ pertinet ad primum principium eſſendi omnibus. Sic enim eſt diſpoſitio rerum in veritate, ſicut in eſſe.

Ad eundem ſapientem pertinet falſitatem veritati contrariam de primo principio impugnare; quia eiuſdem eſt vnum contrariorum proſequi, & aliud refutare, vt patet in exemplo medicinæ, quæ ſanitatem operatur, & ægritudinem expellit; ideoque Prouerb. 8. vtrunque coniungit dicens: Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium; per quod falſitas contra diuinam veritatem deſignatur, quæ impietatis nomen aſſumit; quia religioni contraria eſt, quæ pietas nominatur.

Prou. 8.

CAPVT SECVNDVM.

De intentione auctoris.

1. Con. g. c. 2. SAnctus Thomas primo contra gentes cap. 2. intentionem ſuam proponit, eandemque noſtram in hoc opere ad eius imitationem proponimus. In eius enim doctrina, & maximè in opere contra gentes ars iſta noſtra fundatur.

Inter omnia ſtudia hominum, ſapientiæ ſtudium dicit S. Thomas, quod eſt perfectius, ſublimius, vtilius, & iucundius. Probat primum de perfectione; quia in hoc, quod homo ſapientiæ ſtudio vacat in tantum iam veræ beatitudinis partem aliquam habet, vt Eccleſiaſt. 14. docet Spiritus ſanctus dicens: Beatus vir qui in ſapientia morabitur. Beatum ergo vocat ſapientiæ ſtudio addictum, non per tranſennam, ſed ex ſtudio, & continua, vel frequenti meditatione ſapientiæ, quod notatur in illo verbo, morabitur.

Eccl. 14.

Probat S. Thomas ſecundum de ſublimitate. Quia per ſtudium ſapientiæ homo ad diuinam ſimilitudinem præcipuè accedit: ſimilitudo autem cauſa eſt dilectionis, & amicitiæ coniunctionis: probatur Sapient. 7. Sapientia infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, facti ſunt participes amicitiæ Dei, quo nihil ſublimius, maximè cum theſauri comparatione, & vſu, quibus ſignificatur ſtudium ſapientiæ continuum, & profectu omnium bonorum ſpiritualium, & virtutum.

Sap. 7.

Vtilitatem autem probat S. Thomas. Quia per ſapientiam ad immortalitatis regnum peruenitur. Sapient. 6. Concupiſcentia autem ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Duæ ergo ſunt vtilitates

Sap. 6.

tates ſupremæ, & infinitæ. Prima eſt regni immortalitatis, quo nihil vtilius deſiderari poteſt, cùm morte priuari non poſſit tanto regno. Secunda vtilitas eſt perpetuitas regni, quæ nunquam finitur, excedens omnem aliam vtilitatem, quæ finem habet.

Iucunditatem autem probat S. Thomas. Quia conuerſatio ſtudij ſapientiæ nullam habet amaritudinem, ſed gaudium, & lætitiam. Sapient. 8. Non habet amaritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium. Quibus nihil iucundius poteſt eſſe in hac vita: quia omnia temporalia, & corporalia amaritudinem pariunt, & tædium efficiunt: Lætitiam verò & gaudium in extremis luctus occupat. In ſtudio verò ſapientiæ nulla eſt amaritudo; quia vnitur intellectus Deo: nec tædium; quia creſcit appetitus: Qui edunt me adhuc eſurient. Lætitia verò, & gaudium perfecta ſunt: quia nec in principio, nec in medio, nec in fine, luctus, vel aliqua miſeria occupare poteſt: in alia verò, & beata vita hæc omnia cum perfectione poſſidentur. *Sap. 8.* *Prou. 14.* *Eccl. 24.*

His poſitis aſſumit S. Thomas ex diuina pietate fiduciam, ſapientis officium proſequendi, & intentionem eius eſſe, veritatem, quam fides catholica profitetur, pro ſuo modulo manifeſtare, errores eliminando contrarios, vſus verbis illis Hilarij lib. 1. de Trinit. cap. 15. Ego hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me Deo conſcius ſum, vt eum omnis ſermo meus, & ſenſus loquatur; licet proprias vires excedat. *Hilar. 1. de Trinit. c. 15.*

Nos verò ex diuina pietate, gratia, & miſericordia, & iuxta doctrinam S. Thomæ, & S. Hilarij, vitæ noſtræ oblationem in ſtudio diuinæ ſapientiæ Deo debemus; & ideo officium ſapientis proſequi curabimus in ea parte, quæ ad falſitatem refutandam, & ad conuincendum errores, hæreſes, & argumenta hæreticorum pertinet, in quantum fieri poſſit. Et hæc eſt intentio noſtra in hac arte.

Addit S. Thomas, quod contra ſingulorum errores difficile eſt procedere. Primo. Quia non ita ſunt nota nobis, ſicut errores gentilium, contra quos doctores gentiles ſcripſerunt. Secundo. Quia aliqui hæretici, vt Mahumetici, & Pagani non conſentiunt nobiſcum in auctoritate alicuius Scripturæ ſacræ, ſicut Iudæi in Teſtamento veteri, & alij hæretici in nouo. Vnde contra ſupradictos recurrendum eſt ad naturalem rationem, cui omnes aſſentiri coguntur, etſi deficiens ſit in rebus diuinis.

Circa primam difficultatem, quam aſſignat S. Thomas, nulla eſt difficultas his noſtris temporibus, in quibus extant ſcripta, & impreſſa omnia, & ſingula, quæ contra fidem catholicam in libris hæreti-

Digitized by Google

corum manifeſta ſunt, cum argumentis validiſſimis (vt ipſi putant) in forma, & figura. Quare non eſt tàm difficile, quàm neceſſarium, contra ſingulos errores procedere: ſicut ſancti Patres fecerunt; S. Auguſtinus contra Pelagianos, Donatiſtas, & Iulianum; S. Hieronymus contra Heluidium, Vigilantium, Iouinianum, & Origenem; S. Ambroſius contra Arianos, & Pelagianos; S. Gregorius contra Manichæos; & S. Thomas contra impugnantes religionem; qui omnes hac noſtra arte vtuntur, vt infra dicemus.

Auguſt. Hieron. Ambr. Greg. S. Thom.

CAPVT TERTIVM.

De ratione naturali.

EA, quæ ratio naturalis indita habet, veritati fidei contraria eſſe non poſſunt, nec falſa eſſe poſſibile eſt. Probatur. Quia à Deo ſunt tanquam à prima veritate indita, cui non poteſt ſubeſſe falſum; & ſimiliter quæ per fidem accipimus ex reuelatione diuina, Deum ipſum ſummam veritatem habent auctorem, & ideò nec inter ſe contraria, nec falſa eſſe poſſunt; Quia falſum tantùm vero eſt contrarium. Secundo. Quia intellectus noſter contrarijs rationibus ligatur, vt ad veri cognitionem procedere nequeat: Sed à Deo non impeditur intellectus noſter ad veri cognitionem, immò iuuatur: Ergo hæ contrariæ rationes inter veritatem naturalem, et veritatem fidei non poſſunt eſſe à Deo. Tertio. Ea, quæ ſunt naturalia non poſſunt mutari natura manente: Sed contrariæ opiniones ſimul eidem ineſſe non poſſunt, quia contraria ſunt; nec ita quod vna ſuccedat alteri, quia naturalis ſemper manet; ergo cognitio naturalis non poteſt eſſe contraria eidem cognitioni, nec fidei. Probatur ad Rom. 10. Prope eſt verbum in corde tuo, et in ore tuo, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus. Sed quia fides ſuperat rationem (ſupra rationem enim eſt, et ſupernaturalis) à nonnullis reputatur, quaſi contrarium, quod eſſe non poteſt, ut ex ſupradictis patet. Confirmatur auctoritate S. Auguſt. in 2. ſuper Geneſ. ad litteram his uerbis: Illud quidem quod ueritas patefacit libris ſanctis ſiue ueteris Teſtamenti, ſiue Noui, nullo modo poteſt eſſe aduerſum. Et loquitur S. Auguſt. de ueritate cognitionis naturalis.

Rom. 10.

Aug. 2. ſu. Geneſ. ad litteram

Tandem concludit S. Thomas in c. 7. lib. 1. contra gentes, fundamentum artis noſtræ his uerbis. Ex quo euidenter colligitur, quæcunque argumenta, contra fidei documenta ponantur, & ex principijs primis naturæ inditis per ſe notis, non recte procedere. Vnde nec

S. Tho. 1. con. gen. c. 7.

nec demonſtrationis vim habent, ſed vel ſunt rationes probabiles, & ſophiſticæ, & ſic ad ſoluenda locus relinquitur.

CAPVT QVARTVM.

De principijs artis noſtræ.

EX verbis ſupradictis S. Thomæ locus relinquitur ad ſoluenda omnia argumenta hæreticorum contra fidem Catholicam: qui locus an hucuſque ab aliquo occupatus ſit, manifeſtum eſt, quod non, maxime cum euidentia falſitatis, quod proprium eſt huius artis noſtræ.

Quod autem dicit S. Thomas, quod argumenta contra fidem ſunt rationes probabiles, hoc fit, quando conſtituunt ſyllogiſmum dialecticum ex vna probabili: quia ex vtraque probabili fieri non poteſt, niſi cum aliqua fallacia; & tali ſyllogiſmo vtuntur circa rem dubiam, & circa problema in vtramque partem probabilem. At in rebus fidei, quæ certiſſimæ ſunt, etſi ineuidentes, non cadit dubitatio ſimul cum fide; nec veritates fidei ſunt problemata ad vtramq; partem, ſicut an diuitiæ ſint bonæ, & an ſcientia præſtet ſanitatem: ſed ſunt veritates euidenter credibiles, vt S. Thomas docet in multis locis. *S. Thom.*

Addo etiam, quod probabile ſecundum Ariſt. 1. top. illud dicitur, quod videtur pluribus, & ſapientioribus: & in rebus fidei nunquam plures ſapientiores conueniunt in aliqua propoſitione, vel explicatione ſacræ Scripturæ contra fidem Catholicam. Neceſſarium ergo eſt, quod probabiles rationes hæreticorum contra fidem Catholicam ſint probabiles in apparentia tantum. *2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. 3. p. q. 42. q. 43. q. 44. 1. c. g. c. 6. 1. Top.*

Aliud quod dicit S. Thomas, quod vel ſunt rationes ſophiſticæ, hoc eſt, quod vt plurimum, & ferè ſemper inuenitur in argumentis hæreticorum; vt ex ſententia omnium SS. Patrum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum infra probabimus.

Sit ergo primum principium noſtræ artis, quod argumenta hæreticorum vim demonſtrationis cum euidentia habere non poſſunt. Probat hoc S. Thomas: Quia demonſtratio, per quam fit euidentia, procedit ex primis, veris, immediatis, notis, cauſiſque concluſionis. Sed argumenta hæreticorum non poſſunt habere principia prima, vera, nota, immediata, cauſaſque concluſionum ſuorum errorum: Ergo nec demonſtrationem facere in ſuis argumentis, & concluſionibus. Maior probatur ex Ariſt. 1. poſter. & ex definitione demonſtrationis ab eodem Ariſt. tradita, & ab omnibus recepta. Minor *Ariſt. 1. poſter.*

proba-

probatur primo inductione. Secundo ratione. Quia veritas rationis humanæ non eſt contraria diuinæ veritati ſupernaturali, & per conſequens, nec veritati fidei Catholicæ, quæ eſt per reuelationem. Tertio. Quia veritas non eſt veritati contraria: ſed veritas ex principijs naturæ, & ſecundum rationem humanam eſt veritas infallibilis: ergo veritati fidei Catholicæ non poteſt eſſe contraria. Quarto. Quia Deus eſt doctor, & magiſter ſcientiæ, & veritatis naturalis, & principiorum eius: ſed hæc non poſſunt eſſe falſa: ergo nec contraria fidei Catholicæ ab eodem Deo reuelatæ, cuius eſt etiam doctor, & magiſter ipſe Deus, differenter tamen, vt infra dicemus de magiſterio veritatis.

Secundum principium eſt, quod ferè omnia argumenta hæreticorum continent aliquam fallaciam in modo, vel figura, vel in terminis, & propoſitionibus, vel aliquo alio ex diuerſiſſimis modis, quibus fallacia committitur, vel vt ab eiſdem hæreticis de nouo inuenta eſt: & ſic omnia eorum argumenta ſophiſtica ſunt. Probatur hoc principium inductione, vt in applicatione noſtræ artis, Deo dante demonſtrabimus.

Secundo probatur ratione. Quia argumenta hæreticorum ſunt falſa, & contraria veritati fidei Catholicæ: ergo nihil poſſunt probare contra eam, & continent fallaciam. Antecedens probatur inductione.

Tertium principium eſt, quod in hac arte fieri debent duæ ſolutiones cuiuſlibet argumenti hæreticorum: prima ſolutio erit in materia, in qua euidentia non habet locum, quia eſt materia fidei; poteſt tamen ſecundum ſcientiam Theologiæ ſacræ ſatisfieri cuilibet intellectui, & hoc eſt proprium ſcientiæ Theologiæ. Secunda ſolutio eſt adhibenda in forma argumenti, inſpiciendo modum, & figuram, terminos, & propoſitiones, quouſque inueniatur, & probetur euidentia falſitatis, quæ per hanc ſolutionem fieri demonſtrabimus.

Quartum principium eſt magiſterium veritatis, & falſitatis; vt per magiſterium veritatis deueniamus in eius cognitionem, quod à ſolo Deo eſt principaliter, & immediatè; & per magiſterium falſitatis cognoſcamus omnes falſitates, errores, hæreſes, & argumenta hæreticorum à diabolo procedere, qui fuit mendax ab initio, & in ſuis maximè hæreticis ferè ſemper eſt mendax. Et ſic ponitur in hac arte magiſterium vtriuſque ſecundum doctrinam S. Thomæ, ſacrorum Eccleſiæ Doctorum, & ſacræ Scripturæ.

Ioan. 8.

Quintum principium eſt diſpoſitio omnium, quæ ab Ariſtotele, & à S. Thoma in logicali cognitione traduntur, concernentia ad theoricam, et practicam noſtræ artis.

Sextum

Sextum principium eſt diſpoſitio fallaciarum iuxta ea, quæ Ariſtoteles tradit de eis, et S. Thomas explicat ſuper eas, et quibus vſi ſunt omnes ſophiſtæ, ad quorum ſimilitudinem, et imitationem omnes hæretici in his fallacijs verſuti, et aſtuti ſemper verſantur. Et ex tàm vili omnium ſcientiarum materia, qualis eſt fallaciarum, pretioſiſſimum elicietur ſapientiæ aurum, et fidei propugnaculum, et omnis armatura fortium pugnantium contra hæreticos, et eorum argumenta. *Iob 28. Cant. 4.*

Septimum principium eſt diſpoſitio fallaciarum hæreticorum, quæ propriè ab ipſis inuentæ ſunt iuxta SS. Patrum doctrinam hanc inuentionem ex libris hæreticorum, et iuxta hereticorum ſcripta atteſtantium.

CAPVT QVINTVM.

De ordine, & modo procedendi in hac arte.

ILla pars ex officio ſapientis, quam ſupra docuimus, verſari circa eliminandos, et conuincendos errores, et argumenta eorum fallacia, et ſophiſtica cum euidentia falſitatis diſſoluenda, eſt precipuum, et principale, quod in hac arte prętenditur.

Secundo. Ex libris hęreticorum fideliter, et ad verbum deſumenda ſunt omnia eorum argumenta, et quodlibet eorum per principia huius artis poſitum in forma, et figura diſſoluendum, inuenta fallacia cuiuſlibet.

Tertio. Reducenda ſunt omnia argumenta ad capita certa, et ad materias diſtinctas, ne confuſio, et repetitio confuſionem pariant. Ideoq. omnes hęreſes primo reduximus ad certa capita, et ad certas materias, ut hoc ſit tanquam diſpoſitio ad practicam huius artis.

Quarto. Tractabimus de veritate, et falſitate, et de magiſterio veritatis, et falſitatis, ut obiectum huius artis, quod eſt defendere veritatem conuincendo falſititatem, dilucidius explicando omnia pateat.

Quinto. Deſcribendi ſunt omnes auctores maximè ſancti Patres, ſancti Pontifices, et ſacra Concilia, et doctores etiam moderni, qui contra hæreſes, contra hæreticos, & contra eorum argumenta ſcripſerunt.

Sexto. Deſumenda ſunt ex ſupradictis ſanctis Patribus, & Concilijs cum ſacra Scriptura ab eis tradita, verba propria, & ſuccincta contra quamlibet hæreſim per materias diſtinctas, vt ſupra diximus, & in ſenſu litterali.

Septimo. Reducenda ſunt omnia argumenta ſecundum materias diſtin-

diſtinctas; & omnium hæreticorum per diuerſa ſæcula in vnum; ad euitandam confuſionem & repetitionem, adnotando in quo conueniunt, & in quo differunt, & quæ ab aliquo addantur, vel minuantur, vel moderentur.

Octauo, & vltimo. Procedendum eſt ad practicam huius artis per materias diſtinctas, & per tractatus diſtinctos iuxta materiæ qualitatem, & quantitatem; & ſic diuidentur tractatus, & libri, ſumentes initium ab eo, qui eſt omnium principium, Deo vero, Vno, & Trino, à quo tàm veritas naturalis, quàm ſupernaturalis immediatè procedit. Quare primus tractatus practicę huius artis erit de Perſonis tàm diuinis, quàm humanis; contra quas hęreſes aliquę ſuſcitatę ſunt in diuerſis temporibus, & ſęculis vſque ad noſtra tempora. Secundus tractatus erit de Rebus, quę ab hęreſibus oppugnatę ſunt. Tertius tractatus de Pręceptis, & Conſilijs in his, quæ ab hęreticis negantur, vel confutantur. Quartus de Articulis Fidei Catholicę eo modo, quo ab hęreticis negantur, vel oppugnantur. Quintus de Sacramentis cum omnibus differentijs hæreſum, & hæreticorum, & argumentorum. Sextus de Gratia, de Prędeſtinatione, de Iuſtificatione, de Libero arbitrio, de Fide, & Operibus, de Iuſtis, & Virtutibus in omnibus, in quibus oppugnantur ab hęreticis. Septimus de Peccatis, de Peccatoribus, de Vitijs, & eorum fautoribus, & defenſoribus, & hęreſibus. Octauus de quatuor Nouiſſimis in his, quę ab hęreticis negantur, vel calumniantur. Et per eundem ordinem fiet reſponſio ad quamlibet hęreſim in particulari, & ſolutio cuiuſlibet argumenti.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS
DE VERITATE ET MAGISTERIO ET MAGISTRO EIVS.

CAPVT PRIMVM.

De Veritate.

VERITAS definitur à S. Auguſtino in lib. de vera Religione cap. 36. & 31. tom. 1. Veritas eſt qua oſtenditur id quod eſt, & ſecundum quam de inferioribus iudicamus. Similem diffinitionem tradit S. Hilarius, cum dicit, verum eſt manifeſtatiuum, & declaratiuum eſſe. Et iſtæ diffinitiones traduntur ſecundum effectum conſequentem veritatem.

Aug. li. de vera Relig. c. 31. 36.

Hilar.

Alio modo definitur veritas, ſecundum id, quod veritas rationem veri perficit. Et ſic definitur ab Anſelmo lib. de veritate cap. 12. Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis, & iſta rectitudo eſt ſecundum adæquationem quandam, ſecundum quam definientes verum, dicimus eſſe quod eſt, aut non eſſe quod non eſt ex Ariſt. 4. Metaphyſ. com. 27. & in idem incidit definitio veritatis ab Iſaac tradita, quæ communiter recepta eſt, ſcilicet, quod veritas eſt adæquatio ad intellectum.

Anſel. lib. de verit. c. 12.

Ariſtot. 4 Metaph. c. 27.

Iſaac.

Tertio modo definitur veritas ſecundum id quod præcedit rationem veritatis, & in quo verum fundatur. Et ſic definitur ab Auguſt. lib. 2. ſoliloquiorum cap. 5. Verum eſt id quod eſt. Et ab Auicenna 11. Metaphyſ. veritas cuiuſlibet rei eſt proprietas ſui eſſe, & ab alijs, verum eſt in diuiſio eſſe, & eius, quod eſt.

Aug. lib 2. ſolil. c. 5.

Auicenna 11. Metaph.

Dico ſecundo, quod anima rationalis eſt quodammodo omnia 3. de anima tex. 37. & nata eſt conuenire cum omni ente, primo per vim appetitiuam, & hoc exprimit nomen bonum, quod omnia appetunt ex 1. Ethic. Conuenientiam vero boni ad intellectum expri-

3. de anima tex. 37

mit hoc nomen verum ; omnis enim cognitio perficitur per aſſimilationem cognoſcentis ad rem cognitam, & hæc aſſimilatio eſt cauſa cognitionis ; & in hoc formaliter ratio veri perficitur, & dicitur adæquatio rei, & intellectus. Et hoc eſt, quod addit ens ſupra verum.

Ex quo ſequitur primo, quod entitas rei præcedit rationem veritatis, ſecundum quam definitur à S. Auguſt. & Auicenna tertio modo.

Sequitur ſecundo. Quod cognitio eſt quidam veritatis effectus, & ſic definitur veritas à S. Hilario primo modo.

Sequitur tertio. Quod vera, & propria definitio veritatis eſt illa, quæ ſecundo modo traditur, quia in adæquatione rei, & intellectus perficitur cognitio.

Dico tertio. Quod diſpoſitio rei in eſſe eſt ſicut ſua diſpoſitio in veritate, vt ex Ariſt. Metaphyſ. 2. Sed hoc intelligitur ſecundum quendam ordinem, non autem in genere qualitatis. Sicut enim illa, quæ ſunt cauſa aliorum eſſendi, ſunt maximè entia, ita & illa, quæ ſunt cauſa veritatis aliorum, ſunt maximè vera : Sed non eſt hoc ideo, quia ens & verum ratione ſint idem, ſed ex hoc quod aliquid habet entitatem, ſecundum hoc natum eſt æquari intellectui, & ſic ratio veri ſequitur rationem entis.

Ariſt. 2. Metaph.

Ex hoc ſequitur primo. Quod verum, & ens non differunt per eſſentiam, nec differentijs oppoſitis inuicem diſtinguuntur, ſed differunt ratione per hoc quod aliquid eſt in ratione veri, quod non eſt in ratione entis, non tamen è contra, ita quod aliquid ſit in ratione entis, quod non ſit in ratione veri.

Sequitur ſecundo. Quod verum non eſt in plus quam ens. Probatur. Quia ens aliquo modo etiam dicitur de non ente, ſecundum quod non ens, eſt apprehenſum ab intellectu. Sic Ariſt. 4. Metaphyſ. dicit, quod negatio, vel priuatio entis aliquo modo dicitur ens.

Ariſt. 4. Metaph.

Sequitur tertio. Quod verum eſt poſterius ente, eo modo quo differt ratione ab ente.

Sequitur quarto. Quod vbicumque inueniantur ens, & verum, ſecundum ſuam rationem habent, quod ſint vnum ; & ſic vbicumque inueniuntur, realiter vnum ſunt, quamuis perfectior ſit vnitas illius rei ſecundum quam vniuntur in Deo, quam illius rei ſecundum quam vniuntur in creaturis.

CAPUT

CAPVT SECVNDVM.

Ubi, & quomodo inueniatur veritas.

DIco primo. Quod in his quæ dicuntur per prius, & poſterius de multis, illud, in quo primo ratio illius communis completa inuenitur, recipit prius prædicationem communis vt ſit cauſa aliorum. Sicut ſanum per prius dicitur de animali, in quo prius perfecta ratio ſanitatis inuenitur, quamuis medicina dicatur ſana, & effectiua ſanitatis. Verum autem dicitur de pluribus per prius, & poſterius modo ſupradicto; & ideo oportet quod de illo prius dicatur, in quo inuenitur perfecta ratio veritatis. Perfecta autē ratio veritatis eſt in intellectu diuino, ſecundo inuenitur in intellectu creato, & tertio in rebus ipſis, quæ dicuntur veræ ſecundum quod ad intellectum diuinum, vel creatum comparantur, differenter tamen; quia res non dicitur vera niſi ſecundum quod eſt intellectui adæquata. S. Thom.

Ex his ſequitur primo, quod per poſterius inuenitur verum in rebus, & per prius in intellectu.

Dico ſecundo. Quod res aliter comparantur ad intellectum practicum, & aliter ad ſpeculatiuum. Quia intellectus ſpeculatiuus accipit à rebus, & mouetur ab ipſis rebus, & ita res menſurant ipſum. Sed ipſe intellectus menſurat res artificiales tantum, intellectus verò practicus cauſat res, vnde eſt menſuratio rerum. Intellectus verò diuinus aliter ſe habet. Quia in eo ſunt omnia creata ſicut omnia artificiata in intellectu artificis; & ſic intellectus diuinus eſt menſurans, non menſuratus; res autem naturalis eſt menſurata ab ipſo.

Ex quo ſequitur, quod res naturales inter duos intellectus conſtitutæ, diuinum, & humanum, ſecundum adæquationem ad vtrumque veræ dicuntur: ſecundum adæquationem ad intellectum diuinum veræ dicuntur inquantū implent hoc ad quod ſunt ordinatæ per intellectum diuinū ſecundum doctrinam S. Anſelmi lib. de Vero, & S. Aug. lib. de vera Relig. cap. 31. & patet ex definitione veritatis adductæ. Secundum adæquationem ad intellectum creatum dicitur vera res, in quantum nata eſt de ſe formare veram æſtimationem ex Phyſ. 5. com. 24. *Anſelmus lib. de Vero. Aug. lib. de vera relig.*

Sequitur ſecundo. Quod prima ratio veritatis per prius ineſt rei, quam ſecunda, quia prior eſt comparatio ad intellectum diuinum, quam ad creatum. Vnde etiam ſi intellectus creatus non eſſet, res eſſent veræ comparatione ad intellectum diuinum.

Sequitur tertio. Quod veritas, quæ in anima cauſatur à rebus non ſequitur æſtimationem animæ, ſed exiſtentiam rerum. Ex eo enim quod res eſt, vel non eſt, dicitur res vera, vel non vera.

Sequitur quarto. Quod rei veritas non dependet à viſione intellectus creati, benè tamen dependet à viſione intellectus diuini. Probatur quia nulla res eſt, quam intellectus diuinus actu non cognoſcat, & multæ ſunt res, quæ per intellectum noſtrum non cognoſcuntur.

De veritate intellectus diuidentis, & componentis.

DIco primo. Quod ſicut veritas per prius inuenitur in intellectu, quam in rebus, vt ſupra dictum eſt, ita etiam per prius inuenitur in actu intellectus diuidentis, & componentis, quam in actu intellectus quidditates rerum formantis. Probat hoc S. Thomas in quæſt. de verit. hac ratione. Ratio veritatis conſiſtit in adæquatione rei, & intellectus, idem autem non adæquatur ſibiipſi. Ergo ibi primo inuenitur ratio veritatis in intellectu, vbi primo intellectus incipit aliquid proprium habere, quod res extra animam non habet, ſed aliquid ei correſpondens, inter quæ adæquatio correſpondet. Maior probatur ex definitione veritatis. Minorem probat S. Thomas, quia æqualitas diuerſorum eſt.

S. Thom. q. de verit.

Dico ſecundo. Quod intellectus formans quidditates non habet ſimilitudinem rei exiſtentis extra animam, ſed quando incipit iudicare de re apprehenſa, tunc ipſum iudicium intellectus eſt proprium ei, quod non inuenitur extra in re.

Dico tertio. Quod quando intellectus adæquatur ei, quod eſt extra in re, dicitur iudicium verum eſſe, quia tunc iudicat intellectus de re apprehenſa, quando dicit, quod aliquid eſt, vel non eſt; quod eſt intellectus componentis, & diuidentis. Et ideò Ariſt. 6. Metaphyſ. dicit quod diuiſio, & compoſitio eſt in intellectu, non in rebus.

Ariſtot. 6. Metaph.

Ex his ſequitur primo. Quod veritas per prius inuenitur in compoſitione, & diuiſione intellectus; ſecundario verò, & per poſterius in intellectu formante definitiones, quia definitio non dicitur vera vel falſa niſi per ordinem ad compoſitionem. Tertio inuenitur veritas in rebus ſecundum quod adæquantur intellectui diuino, vel aptæ natæ ſunt adæquari intellectui creato. Quarto dicitur verum de homine, qui eſt electiuus orationum ſuarum verarum, uel qui facit æſtimationem de ſe, vel de alijs veram, per ea quæ dicit, vel facit. Adde

quod voces eodem modo accipiunt ueritatem.

Sequitur ſecundo. Quod quamuis formatio quidditatis ſit prima operatio intellectus, tamen non habet intellectus per eam aliquid aliud proprium, quod poſſit rei adæquari, & ideo non poteſt ibi eſſe ueritas.

CAPVT QVARTVM.

De vnica veritate.

SOla ueritas intellectus diuini eſt una tantum, à qua in intellectu creato deriuantur plures ueritates, ſicut ab una facie hominis reſultant plures ſimilitudines in ſpeculo ſecundum gloſſam S. Auguſt. in Pſalm. 20. diminutæ ſunt ueritates à filijs hominum. Veritates autem, quæ ſunt in rebus, ſunt plures, ſicut & rerum entitates. *Gloſſa. Aug. ſup. Pſal. 20.*

Dico ſecundo. Quod ueritas, quæ dicitur de rebus in comparatione ad intellectum humanum, eſt rebus quodammodo accidentalis. Probatur. Quia ſi intellectus humanus non eſſet, adhuc res in ſua eſſentia permanerent.

Dico tertio. Quod ueritas, quæ dicitur de rebus in comparatione ad intellectum diuinum, eis inſeparabiliter communicatur, quia non poſſunt ſubſiſtere niſi per intellectum diuinum, eas in eſſe producentem, & conſeruantem.

Ex his ſequitur primo. Quod ueritas per prius ineſt rei, & per comparationem ad intellectum diuinum, in quo eſt ueritas propriè & primo quam in intellectu humano, in quo propriè, & ſecundario eſt ueritas, in rebus autem impropriè, & ſecundario, quia ad intellectum diuinum comparatur ueritas quaſi ad cauſam, ad humanum uerò intellectũ quaſi ad effectum; quia intellectus accipit à rebus ſcientiã.

Sequitur ſecundo. Quod omnia ſunt vera, ſcilicet vnica veritate intellectus diuini ex Anſelmo de verit. cap. 8. *Anſel de verit. c. 8.*

Sequitur tertio. Quod ex parte rerum ſunt plurium verorum plures veritates in animabus diuerſis. Si autem accipiatur veritas impropriè dicta, ſecundum quam omnia dicuntur vera, ſic ſunt plurium verorum plures veritates; ſed vnius rei vna tantum eſt veritas.

Sequitur quarto. Quod à veritate intellectus diuini effluunt in intellectum Angelicum ſpecies rerum innatæ, ſecundum quas omnia cognoſcit. In intellectum verò noſtrũm à veritate intellectus diuini exemplariter procedit veritas primorum principiorum, ſecundum quam de omnibus iudicamus, & ſic ſecundum primam veritatem de omnibus dicimus iudicare.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De mutabilitate veritatis.

DVpliciter dicitur aliquid mutari, vno modo quia eſt ſubiectum mutationis, & ſic corpus dicitur mutabile, non tamen forma; & quia veritas ſignificatur per modum formæ, in hoc ſenſu non eſt mutabilis. Alio modo dicitur aliquid mutari, quia ſecundum ipſum fit mutatio; ſic dicimus albedinem mutari, quia ſecundum ipſam corpus alteratur; & ſic eſt dubium an veritas ſit mutabilis.

Aug. lib. de lib. arb. cap. 8. Dico primo. Quod veritas prima ſecundum quam dicuntur aliæ res veræ, nullo modo mutatur ſecundum Aug. lib. 2. de lib. arbit. cap. 8. quia ſemper in ſeipſa eadem manet.

Dico ſecundo. Quod veritas inhærens rebus mutari dicitur ſecundum quod aliqua ſecundum veritatem mutantur.

Dico tertio. Quod veritas creaturarum ſecundum ordinem ad intellectum diuinum, quia eſt veritas rei mutabilis, mutatur in aliam veritatem, non tamen in falſitatem. Probatur. Quia facta qualibet mutatione, res remanet ens, quamuis ſecundum aliam formam, per quam habet eſſe, & ita ſemper remanet vera, ſed alia veritate, quia quamcunque formam, vel etiam priuationem per mutationem acquirat, diuino intellectui conformatur, qui eam ita cognoſcit, vt eſt ſecundum quamcumque diſpoſitionem.

Dico quarto. Quod ſi conſideretur veritas rei in ordine ad intellectum humanum, vel è conuerſo, tunc quandoque fit mutatio de veritate in falſitatem, ſicut ſi Socrate exiſtente albo intelligit eum nigrum, Socrate albo remanente, vel è conuerſo. Vel ſi intellectu vero exiſtente, mutatur res, non mutato intellectu, vel è contrario, aut vtrumque mutetur, ſed non ſimiliter. Et ſic erit mutatio de veritate in falſitatem. Quandoque autem mutatio fit de vna veritate in aliam, quando ſimiliter mutatur intellectus, & res, manet quidem veritas, ſed alia: ſicut ſi Socrate ſedente, intelligatur Socratem ſedere, & non ſedente non ſedere.

CAPVT SEXTVM.

De veritate, quæ eſt in ſenſu.

DIco primo. Quod veritas eſt in ſenſu ſicut conſequens actum eius. Probatur. Quia iudicium ſenſus eſt de re ſecundum quod eſt.

Dico ſecundo. Quod veritas non eſt in ſenſu ſicut cognita à ſenſu. Probatur. Quia ſenſus non cognoſcit veritatem, nec naturam ſuam, nec naturam ſui actus, nec proportionem eius ad res, & ita nec veritatem eius. Et ratio eſt, quia ſenſus nihil cognoſcit niſi per organum corporale; non eſt autem poſſibile, vt organum ſit medium inter potentiam ſenſitiuam, & ſenſum; & ſic licet ſenſus cognoſcat ſe ſentire, non tamen reflectit ſuper actum ſenſationis.

Dico tertio. Quod intellectus reflectitur ſuper actum ſuum non ſolum ſecundum quod cognoſcit actum ſuum, ſed ſecundum quod cognoſcit proportionem eius, ad rem, cognita natura ipſius actus, & natura principij actiui, quod eſt ipſe intellectus, in cuius natura eſt, vt rebus conformetur: & ſecundum hoc cognoſcit veritatem intellectus, quod ſupra ſeipſum reflectitur. Adde quod potentiæ naturales inſenſibiles nullo modo redeunt ſupra ſeipſas, quia non cognoſcunt ſe agere, ſicut ignis non cognoſcit, ſe calefacere.

CAPVT SEPTIMVM.

De primo, & vnico Magiſtro veritatis.

PRima concluſio. Solus Deus eſt vnicus Magiſter, vt dixit Chriſtus Matth. 23. & principalis ſecundum gloſſam, & in cuius ſapientiam ſpem debemus ponere, qui interius principaliter docet, & loquitur in nobis, per ſuæ ſimilitudinis impreſſionem, qua de omnibus poſſumus iudicare per lumen rationis quaſi per ſimilitudinem increatæ ueritatis in nobis reſultantis, ex quo omnis doctrina humana efficaciam habet ſecundum D. Auguſtinum in lib. de Magiſtro. *Matt. 23. Gloſſa.* *Aug. lib. de Magiſtro*

Secunda concluſio. Solus Deus eſt Magiſter ſapientiæ creatæ, & reuelatæ ſecundum Danielem cap. 2. Eſt Deus in cælo reuelans myſteria, & Matth. 11. dixit Chriſtus. Confiteor tibi Pater quia reuelaſti ea paruulis. Hæc autem ſapientia creata ſecundum reſpectum ad res æternas de quibus eſt, eſt immutabilis, ſecundum uero eſſe quod habet *Dan. 2. Matt. 11.*

bet in ſubiecto per accidens mutatur, mutato ſubiecto de potentia in actum, quo perficitur intellectus.

Tertia concluſio. Certitudo ſcientiæ tàm naturalis, quàm reuelatæ à ſolo Deo eſt, qui nobis lumen rationis indidit per quod principia prima cognoſcimus ex quibus oritur certitudo ſcientiæ, & ratio eſt, quia tunc concluſiones ſciuntur per certitudinem quando reſoluuntur in principia lumine rationis nota, ſed Deus eſt, qui indidit lumen *Pſal. 4.* rationis diuinitus in nobis ex Pſalm. 4. Ergo à ſolo Deo habemus certitudinem ſcientiæ, & eadem eſt ratio de ſcientia reuelata, quia à Deo reuelata ſunt prima principia illius.

Quarta concluſio. Poſſunt eſſe alij magiſtri ſcientiæ in alio, & cauſa ſcientiæ in alio, operatione rationis naturalis, & hoc eſt docere *Ariſtot. 1. poſter.* alium, & eſſe eius. Magiſtrum, & hoc eſt, quod Ariſtoteles dixit 1. poſterior. quod demonſtratio eſt ſylogiſmus faciens ſcire, magiſtri, induſtria & opera; ſi uero aliquis proponat alicui ea, quæ in principijs per ſe notis non includuntur, uel non manifeſtantur includi, non facit in eo ſcientiam, ſed opinionem, uel fidem. Adde quod ex ipſis principijs per ſe notis conſiderat, quod ea quæ ex eis neceſſario conſequuntur ſunt certitudinaliter tenenda, quæ uero ei ſunt contraria, totaliter reſpuenda; alijs autem aſſenſum præbere poteſt, uel non. Huiuſmodi autem rationis lumen, quo principia huiuſmodi ſunt nobis nota, eſt nobis à Deo inditum, quaſi quædam ſimilitudo diuinæ ueritatis in nobis reſultantis. Ex hoc ſequitur primo quod omnis doctrina humana efficaciam habere non poteſt, niſi ex uirtute illius luminis. Sequitur ſecundo, quod ſolus Deus eſt, qui interius, & principaliter docet, ſicut natura interius principaliter ſanat. Sequitur tertio, quod ſicut medicus minus principaliter, propriè tamen, ſanare dicitur; ita & homo propriè dicitur docere, conſulendo tamen diuinam ueritatem, quæ in nobis loquitur per ſuæ ſimilitudinis impreſſionem; qua de omnibus poſſumus iudicare. Sequitur quarto, quod cognitio rerum in nobis non efficitur per cognitionem ſignorum, quia per ea cognoſcimus quantum ad aliquid tantum, & ex ſenſibilibus ſignis, intellectus accipit intellectiones intelligibiles, quibus utitur ad ſcientiam in ſeipſo faciendam. Et ratio eſt, quia proximum ſcientiæ effectiuum non ſunt ſigna, ſed ratio diſcurrens à principijs in concluſiones.

Quinta concluſio. Docens non dicitur transfundere ſcientiam in diſcipulum, eandem numero, quam idem habet, ſed ſimilem ei, quæ eſt in magiſtro, educta de potentia in actum. Et ratio eſt, quia in eo, qui docetur præexiſtit ſcientia in rationibus ſeminalibus per vniuerſales

ſales conceptiones nobis naturaliter inſitas; & id quod eſt in eis originaliter, & virtualiter, actione virtutis magiſtri in actum adduci poteſt; non lumen rationi infundens, ſed lumen rationis coadiuuans ad ſcientiæ perfectionem, per ea quæ exterius proponit. Et in hoc ſenſu dicit Paulus ad Ephes. 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia illuminare, &c. Itaque mediante per eum, qui docet, gignitur ſcientia. Et ratio eſt, quia doctor proponit rerum intelligibilium ſigna, ex quibus intellectus agens diſcipuli, accipit intentiones intellectuales intelligibiles; verba autem doctoris propinquius ſe habent ad eandem ſcientiam, quam ſenſibilia extra animam exiſtentia, quia ſunt ſignum intelligibilium intentionum. *Epheſ. 3.*

Sexta concluſio. Sapientia creata mutabilis eſt per accidens, ſecundum quod eſt in ſubiecto, mutato de potentia habente ſapientiam in actu. Formæ enim intelligibiles ex quibus ſapientia conſiſtit, & ſunt rerum ſimilitudines; & formæ perficientes intellectum. Si verò conſideretur ſapientia creata ſecundum reſpectum ad res æternas, de quibus eſt, ſic omnino immutabilis eſt; ſicut increata ſapientia; & vtraque homini infunditur, & eius infuſione homo in melius mutari poteſt proficiendo.

Adde quod in actu docendi, duplex materia inuenitur, & ſic actus docendi duplici actui coniungitur. Prima materia eſt ipſa res, quæ docetur, & ſic actus doctrinæ ad vitam contemplatiuam pertinet. Alia materia eſt ille cui ſcientia traditur; & ſic ad actiuam pertinet; & ſimiliter ex parte finis, quiq vltimum finem, quem conſequitur, eſt actiuæ vitæ materia; & ſic magis pertinet ad actiuam. Contemplatiua tamen principium eſt doctrinæ.

C TRA-

TRACTATVS TERTIVS

DE FALSITATE ET EIVS MAGISTERIO ET MAGISTRO.

CAPVT PRIMVM.

De Falſitate.

FALSITAS conſiſtit in inadæquatione, & inæqualitate rei, & intellectus. Dico ergo primò, quod res comparantur intellectui diuino ſicut menſuratum menſuræ, quò ad ea, quæ in rebus poſitiuè dicuntur, vel inueniuntur, quia omnia ab actu diuini intellectus proueniunt. Alio modo comparantur, ſicut cognitum ad cognoſcentem, & ſic etiam negationes, & defectus Deus cognoſcit, quamuis ea non cauſet.

Ex hoc ſequitur primò, quod res quantumcunque ſe habeat ſub quacumque forma exiſtens, vel priuatione, vel defectu, intellectui diuino adæquatur.

Anſel.lib. de verit. Sequitur ſecundo, quod res qualibet in comparatione ad intellectum diuinum vera eſt ex Anſelmo in lib. de verit.

Sequitur tertio, quod per comparationem ad intellectum diuinum nulla res poteſt eſſe falſa.

Dico ſecundo, quod per comparationem ad intellectum humanum, aliquæ res dicuntur falſæ. Et quia hæc comparatio eſt accidentalis, ſecundum quid attenditur hæc falſitas, non tamen abſolutè res dicitur falſa. Probatur. Quia inuenitur interdum inæqualitas rei ad intellectum noſtrum, quodammodò ex ipſa re cauſata, ex eo quod res notitiam ſui facit in anima, per ea quæ de ipſa exterius apparent, & cognitio noſtra initium ſumit à ſenſu, cuius per ſe obiectum ſunt ſenſibiles qualitates, quæ demonſtrantes naturam, quæ eis non ſubeſt, dicitur res illa eſſe falſa ex Ariſt. 6. Metaphyſ. dicente, quod illa dicuntur falſa, quæ nata ſunt videri, aut qualia non ſunt, aut quæ non ſunt. Vt aurũ falſum, in quo apparet color auri, & tamen non ineſt natura auri. *Ariſtot. 6. Metaph.*

Dico

Dico tertio, quod res non eſt cauſa neceſſaria falſitatis in anima, quia veritas, & falſitas præcipuè in iudicio animæ exiſtunt. Anima verò in quantum de rebus iudicat, non patitur à rebus, ſed magis quodammodo agit. Vnde res non dicitur falſa, quia de ſe ſemper falſam facit apprehenſionem, ſed quia nata eſt facere per ea, quæ de ipſa apparent.

Sequitur ex his primo, quod illud, quod falſum dicitur, ſit aliquod ens, cumque omne ens ſit verum in quantum huiuſmodi, oportet falſitatem in rebus exiſtentem, ſupra veritatem fundari ex Auguſt. in ſoliloquijs cap. 10. dicente, quod tragœdus, qui repreſentat veras perſonas in theatris, non eſſet falſus, niſi eſſet verus tragœdus. Et equus pictus non eſſet falſus equus, niſi eſſet vera pictura. *Aug. lib. ſoliloquij c. 10.*

Ex his tamen non ſequitur contradictoria eſſe vera. Quia affirmatio & negatio ſecundum quod dicunt verum & falſum, non referuntur ad idem vt patet in exemplis adductis.

Sequitur ſecundo, quod cum falſa res dicitur quæ nata eſt fallere, ſignificat actionem quandam, defectum inducentem, defectus autem non eſt ens, & quod non eſt, recedit à ſimilitudine veri. Et ideo quod dico fallere ſecundum quod importat de actione, originem habet de ſimilitudine, ſed quantum ad id quod importat defectum (in quo formaliter ratio falſitatis conſiſtit) ex diſſimilitudine ſurgit, ex Auguſt. de vera Religione cap. 15. *Aug. de vera relig. c. 15.*

Adde quod non ex qualibet ſimilitudine, nata eſt anima decipi, ſed ex magna ſimilitudine, in qua diſſimilitudo inueniri non poteſt de facili, & ideo ex ſimilitudine maiori vel minori, decipitur anima ſecundum maiorem & minorem perſpicacitatem, ad diſſimilitudinem inueniendam. Nec ſimpliciter debet enunciari res falſa, quantumcunque in errorem inducat, ſed ex eo quod nata eſt plures, vel ſapientes fallere.

Ex his ſequitur, quod quamuis creaturæ, aliquam Dei ſimilitudinem habeant in ſeipſis, tàm maxima diſſimilitudo ſubeſt, vt nonniſi ex magna inſipientia, & ſtultitia, contingat, quod ex tali ſimilitudine mens decipiatur, & in errorem inducatur.

Sequitur ſecundo, quod ex prædicta ſimilitudine, & diſſimilitudine creaturarum ad Deum, non ſequitur, quod omnes creaturæ debeant dici falſæ.

CAPVT SECVNDVM.

De falſitate in ſenſu.

SEnſus inuenitur medius inter intellectum, & res: & ideo in ſenſu, incipit cognitio, & in intellectu perficitur.

Dico ſecũdo, quod in ſenſu, dicitur eſſe ſenſus falſus ſicut res, inquantum ſcilicet faciunt æſtimationem in intellectu falſum repreſentando ei aliter rem quam ſit, in quantum natus eſt facere falſam æſtimationem in intellectu, maximè de diſpoſitione rerum, & ſecundum quod eſt repreſentatiuum alterius rei.

Adde quod ſi comparetur ſenſus ad intellectum, prout res quædam, nullo modo poteſt eſſe falſitas in ſenſu; quia ſecundum quod ſenſus diſponitur diſpoſitione propria, ſecundum hoc diſpoſitionem ſuam intellectui demonſtrat, ex Auguſtino in loco ſupracitato, & ſemper facit veram æſtimationem.

Aug. de vera relig. c. 35.

Secundo modo comparatur ſenſus, ſecundum ordinem ad res, tunc in ſenſu eſt falſitas per modum quo eſt in intellectu, in quantum iudicat eſſe, quod non eſt, in iudicio componentis & diuidentis, & in ſenſu ſecundum quòd iudicat in ſenſibilibus, in ordine ad iudicium in ſenſibilibus communibus, & per accidens, in quibus iudicium ſenſus fallitur; in proprijs verò ſenſibilibus, ſemper iudicium ſenſus eſt verum, & naturale, niſi ſit impedimentum in organo, vel in medio.

Dico tertio, quod eſt quædam vis apprehenſiua in ſenſu, quæ apprehendit ſenſibilem ſpeciem, ſenſibile repreſentans, ſicut ſenſus proprius; & ſic ſenſus ſemper apprehendit rem vt eſt, niſi ſit impedimentum in organo, vel in medio. Alia eſt vis apprehenſiua; quæ dicitur imaginatio, quæ apprehendit ſenſibilem ſpeciem re abſente, & vt plurimum apprehendit rem, vt non eſt. Quia apprehendit eam, vt præſentem, cum ſit abſens. Et ideo dicit Ariſtoteles 4. Metaphyſ. quod ſenſus non eſt dominus falſitatis, ſed phantaſia.

Ariſt. 4. Metaph.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

De falſitate, quæ eſt in intellectu.

NOmen intellectus ſumitur ex hoc, quod intima rei cognoſcit. Eſt enim intelligere quaſi intus legere; ſenſus verò & imaginatio, ſolum exteriora cognoſcunt: intellectus verò ad eſſentiam rei pertingit. Sed diuerſimode negotiatur ratiocinando, & inquirendo, ex eſſentijs rerum comprehenſis.

Dico ſecundo, quod intellectus dupliciter conſideratur. Primo ſecundum ſui nominis impoſitionem, & ſic dicimur propriè intelligere, cum apprehendimus quidditatem rerum, vel cum intelligimus illa, quæ ſtatim nota ſunt intellectui, notis rerum quidditatibus, ſicut ſunt prima principia, cognitis terminis; & ſic dicitur intellectus habitus principiorum, & quidditas rei propriè eſt obiectum intellectus. Vnde ſicut ſenſus ſenſibilium propriorum ſemper eſt verus; ita intellectus in cognoſcendo quod quid eſt, ſemper eſt verus, ex Ariſt. in 3. de anima. Et ſic vllo modo decipitur, nec poteſt eſſe in intellectu falſitas. *Ariſt in 3. de anima.*

Adde quod per accidens poteſt falſitas ibi accidere, in quantum intellectus falſo componit, & diuidit, quod contingit, vel inquatum diffinitionem vnius, tribuit alteri, vt ſi animal rationale tribueret, leoni, vel dum coniungit partes diffinitionis, quæ coniungi non debent, vt ſi in diffinitione leonis poneret animal rationale mortale.

Secundo modo poteſt accipi intellectus communiter, ſecundum quod ad omnes operationes ſe extendit, & ſic comprehendit opinionem, & ratiocinationem, & ſophiſmata; & ſic in intellectu eſt falſitas; cum non ſit recta reſolutio in prima principia, & cum non obſeruatur modus, nec figura, nec alia quæ in rectam veritatem perducunt intellectum, & ab omni falſitate eum liberant; qualis eſt doctrina reuelata, vtilis ad omnia, vt ait ſanctus Paulus, etiam ad veritates naturales intelligendas, ſine aliquo errore, quod nulli Philoſophorum contigit, & omnibus Catholicis eſt commune. *2. Tim. 3.*

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

De magiſterio falſitatis.

Ariſtot. 6. Ethic. *S Thom. q. de falſit.* ARiſtoteles in 6. Eth. dixit, quod malum intellectus, eſt falſum, & S. Thom. comparat falſitatem opinionis partui monſtruoſo, qui eſt quædam defectiua operatio naturæ; ſicut illa eſt defectiua operatio intellectus. Defectiua autem operatio ſemper procedit ex defectu alicuius principij, ſicut ex defectu ſeminis in partu moſtruoſo ex 2. Phyſ. *Ariſtot. 2. Phyſ.* ſic ex defectu alicuius principij cognoſcendi, vel ex indebita ratiocinatione, accidit falſa opinio. Defectus autem contingit reſpectu eius, quod eſt in potentia, quod poteſt ſubijci, & perfectioni, & priuationi, non autem ſecundum quod eſt ſemper in actu, quia actus opponitur priuationi, ad quam pertinet omnis defectus. Et ideo in Angelo etiam malo, quia eſt ſemper in actu, circa naturale, non poteſt eſſe error, vel falſitas.

Dico ſecundo, quod Angelus bonus, & malus, ſunt in potentia reſpectu eorum, quæ ſuam naturalem cognitionem excedunt, & ad ea cognoſcenda, indigent ſuperiori lumine illuſtrari; & ſic reſpectu eorum, quæ ſunt in diuina cognitione, omnis intellectus Angelicus eſt in potentia, indigens ad ea cognoſcenda; illuſtrari ſupernaturali lumine gratiæ diuinæ. Et ſic reſpectu huius cognitionis gratuitæ, poteſt in quolibet Angelo tàm bono, quàm malo aliquis defectus exiſtere.

Dico tertio, quod aliter contingit in bono Angelo, & aliter in malo; in bono iſte defectus dicitur ſimplicis negationis ex Dionyſ. cap. 7. de Eccleſ. hier. *Dionyſ. c. 7. Eccleſ. hierar.* & ratio eſt; quia purgantur boni Angeli à neſcientia: defectus verò falſæ opinionis in eis eſſe non poteſt. Probatur. Quia voluntas eorum eſt ordinata, & ſuum intellectum non applicant, ad iudicandum de illis, quæ cognitionem illorum excedunt.

In malis verò Angelis, poteſt eſſe defectus falſæ opinionis, tùm quia habent inordinatam, & ſuperbam voluntatem; tùm etiam quia exhibent præſumptuosè, ſuum intellectum ad iudicandum de his, quæ eos excedunt. Et hæc falſitas, reſpectu horum cognoſcibilium, poteſt eſſe in malis Angelis ſpeculatiuè, in quantum abſolutè in falſum iudicium prorumpunt, & practicè, ſiue effectiuè, inquantum falſo exiſtimant aliquid eſſe appetendum, vel agendum in ordine ad prædicta cognoſcibilia inordinatè; & quia eſt ex nihilo, poteſt deficere ad ſupernaturalia; & quia peccatum magis reſpicit voluntatem, quam intellectum. Ex hoc ſequitur, quod diabolus errat circa myſterium Incarnationis,

Digitized by Google

nis, quia excedit naturalem cognitionem, & circa effectum paſſionis Chriſti, quæ pertinet ad ſupernaturalem cognitionem, & circa alia omnia myſteria, quæ ſunt ſupra cognitionem naturalem. Et appetitus peruerſus, ſemper eſt cum falſitate practicæ cognitionis, & omnia, quæ agit diabolus ex libero arbitrio, malè agit, exceptis actionibus naturalibus.

Dico quarto, quod Dæmon immutat potentiam imaginatiuam, & ſenſitiuam hominis, inquantum proprium obiectum ſenſitiuæ, vel imaginatiuæ virtutis defert ad ipſam, & poſſunt formas in organis ſenſibilibus conſeruatas aliquo modo tranſmutare, & humores mouere, non tamen nouam formam imprimere in organa ſenſus, nec ſeipſum exhibere medium, vel obiectum. Intellectum verò poteſt quodammodo diſponere, & immutare ad aliquid intelligendum non influendo ſpecies in intellectu, ſed quædam ſigna exterius adhibendo, quibus intellectus excitatur, ad aliquid apprehendendum. Poteſt vlterius diſponere, & immutare ſpecies imaginarias, ſecundum quod competit ad aliquid intelligibile apprehendendum, & dæmones ſemper ordinant hæc ad hominis malum, & ad peccatum, vt ex his, quæ homo apprehendit per ſupradicta, moueatur ad ſuperbiam, vel ad aliquod aliud peccatum; vel ad impediendam ipſam intelligentiam veritatis, ſecundum quod per aliqua apprehenſa inducitur homo in dubitationem, quam ſoluere neſcit; & ſic trahitur in errorem ex Aug. lib. 83. quæſt. vbi dicit, quod dæmon quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos pandere lumen rationis radius mentis ſolet. Duobus ergo modis moueri poteſt intellectus; ex parte intelligibilis, & ex parte intellectus; & ſi aliquando dæmon, vera aliqua manifeſtat, ſemper intendit hominem ad mendacium perducere. Ioan. 8. Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur. Cum autem dicitur dæmon ingredi mentem hominis non eſt ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum effectum, ideſt inquantum inſtigat hominem ad aliquid cogitandum; poteſt etiam vti anima ſapientis, inquantum aliquando Deo permittente impedit vſum rationis in homine, vt in arreptitijs. *Aug. lib. 83 q.* *Ioan. 8.*

CAPVT QVINTVM.

De Magiſtro falſitatis.

SAnctus Ioannes Apoſtolus, Euangeliſta, & Propheta, Apoc. 9. Inter alia myſteria, quæ fuerunt ei reuelata, & prædixit, de hoc magiſterio *Apoc. 9.*

giſterio ſic prophetauit: Et vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram:
Ambroſ. Per ſtellam explicat S. Ambroſius hæreſiarchas deſignari; quia ſicut ſtellæ in cælo refulgent, ita iſti antequam caderent, doctrina & ſapientia refulgebant in Eccleſia: de cælo vero in terram cecidit; quia ab Eccleſia præciſi, corpori reproborum, qui per terram deſignantur, ſociati ſunt. Hæc Ambroſ. In hoc enim, magiſterium diaboli habuerunt hæreſiarchæ; quia ſicut ipſe cecidit de cælo (videbam enim ait
Luc. 10. Chriſtus Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem) ita ſuos hæreſiarchas, & hæreticos de cælo Eccleſiæ cadere ſollicitat, vt ſimiles illi ſint in caſu ſuo. Sed quia per violentiam, & vim id facere non poteſt (non enim habet dominium ſuper animam, & liberum arbitrium) ideo addit S. Ioannes in dicto capite, & data eſt ei clauis putei abyſſi.
Ambroſ. S. Ambroſius per clauem, intelligit liberum arbitrium hæreticorum in malum, quo ipſi vſi ſunt liberè, claudendo veritati Catholicæ cor ſuum, & aperiendo diabolo eorum magiſtro, vt ingrediatur in corda
Ierem. 17. eorum. Per abyſſum intelligit corda hæreticorum, quia verè inſcrutabile eſt cor cuiuſlibet hominis, niſi ab eo, qui fecit illud. Per pu-
Ambroſ. teum autem intelligit S. Ambroſius ora hæreticorum, per quæ omnes hæreſes manifeſtatæ ſunt, permiſſione tamen Dei, qua permiſit hæ-
1. Cor. 11. reſes eſſe, ſicut dicit Apoſtolus Paulus 1. ad Cor. 11. oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant inter vos. Et quia diuerſis temporibus, & ſæculis, magiſterio diaboli, diuerſi hæreſiarchæ, & hæretici manifeſtarunt hæreſes: ideo dicit S. Ioannes, & aperuit puteum abyſſi, vt denotaret; quod hæretici ad proferenda mala, quæ in cordibus eorum latebant, ora ſua aperuerunt.

CAPVT SEXTVM.

De doctrina hæreticorum, & de magiſterio diaboli.

COmparat Propheta Ioannes Euangeliſta, doctrinam hæreticorum, & magiſterium diaboli, fumo: & aſcendit, inquit, fumus
Ambroſ. putei, ſicut fumus fornacis magnæ. Per fumum, dicit S. Ambroſius, doctrina hæreticorum deſignatur, & propriè. Quia ſicut fumus omnibus moleſtus eſt, & pernicioſus: ita doctrina hæreticorum omnibus moleſta, & pernicioſa eſt. Et ſicut fumus eijcit homines è domo, ſic doctrina hæreticorum eijcit aliquos fideles ex Eccleſia. Facit etiam fumus lachrymare: ſic etiam doctrina hæreticorum lachrymare facit ſanctos, & Catholicos; videntes ruinam, & perditionem animarum propter ruinam hæreticorum. Aſcendit fumus ſemper ſurſum: ſic etiam

doctri-

doctrina hæreticorum aſcendit cum ſuperbia contra Deum. Superbia enim eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Hoc tamen habet peculiare fumus (ſanctus Ambroſius dicit) quod vento impulſus cito euaneſcit. Sic doctrina hæreticorum per doctrinam ſanctorum Patrum auxilio Spiritus ſancti cito euaneſcit, vt in omnibus ſæculis manifeſtum eſt magna Dei prouidentia, quot hæreſiarchas habuit mundus, tot & multo plures habuit Doctores Eccleſia Catholica, ex quorum doctrina euanuerunt omnes hæreſes. Et quia noſtris temporibus omnes hæreſes antiquæ, renouatæ ſunt, per eandem doctrinam ſanctorum Patrum, adiuuaute Spiritu ſancto in hac arte, ſicut fumus euaneſcent; quia fallaciæ ſuorum argumentorum, fumo comparantur ſine vlla luce veritatis; & procedentes ex fornace magna ardenti, id eſt, ex corde hæretico. De quo Oſeas cap. 7. Vt clibanus ardens corda eorum, loquens de cordibus omnium hereticorum. Quia in omni vitio, vt in clibano, ardent corda eorum. Sanctus Hieronymus contra Vigilantium his verbis docet diabolum eſſe auctorem, non ſolum doctrinę quę voce profertur, ſed etiam quæ ſcripto manifeſtatur ab hæreticis, dicens: Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpè hoc viliſsimo tortus eſt puluere (loquitur de puluere reliquiarum Martyrum) immo hodie torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur.

Pſal. 73. *Oſea 7.* *S. Hieron.*

CAPVT SEPTIMVM.

De affectu doctrinæ hæreticorum.

MIrabile eſt, quod dicitur Apocalyp. 9. de effectu doctrinæ hæreticorum. Quia non ſolum effectum habuit in malis & peruerſis & impijs, ſed etiam in bonis, de quibus dicitur; & obſcuratus eſt Sol, & aër de fumo putei. Per Solem, dicit ſanctus Ambroſius, intelliguntur prædicatores ſancti. Quia etſi prauitas hæretica eos decipere non valuit, obſcurati tamen ſunt eis, quos hæretici decipere non potuerunt; licet claritas eorum, fidelibus cæteris latere non potuit. Per aërem verò intelligit ſanctus Ambroſius populum fidelem, apud quem turbatio magna fit, per doctrinam hæreticorum.

Apoc 9. *Ambr.* *Ambr.*

Secundus effectus eſt in peruerſione multorum, de qua dicit ſanctus Ioannes: Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, id eſt de

doctrina hæreticorum; qui hæreſiarchæ appellati ſunt; magna mul-
Ambroſ. titudo hæreticorum generata eſt, dicit ſanctus Ambroſius: Et exie-
runt ab Eccleſia Catholica, & à ſocietate electorum ſeparati de fu-
mo doctrinæ peruerſæ in terram impiorum; & infidelium, quibus
coniuncti ſunt. Comparatur autem multitudo hæreticorum ſedu-
Eccl. 1. ctorum locuſtis: Quia ſtultorum infinitus eſt numerus, & ſemper
multitudo, vt plurimum ſequitur peiora, in doctrina, & moribus, &
facillimè generantur, & congregantur ſicut locuſtæ. Habent etiam
locuſtæ iram Dei ſcriptam in alis, quam & iſti qui ſequuntur hære-
ſiarchas impreſſam habent in corde, in quo radicata ſunt vitia, &
peccata, propter quæ venit ira Dei, & nulla maior quam peruerſio
hæretica in hac vita. Et ſicut locuſtæ omnibus fructibus infeſtæ ſunt,
eos deuorantes; ſic hæretici omnibus virtutibus, præceptis, conſilijs,
Sacramentis, operibus bonis, infeſti ſunt, & deuorare præſumunt, di-
Prou. 1. centes: Deglutiamus eos quaſi infernus viuentes. Aliud habent lo-
cuſtæ proprium, quod omne viride tàm in hortis, quàm in campis
deuorant; & hoc eſt maximè proprium hæreticorum, contrà obſer-
uantiam viridem religioſorum, & honeſtatem Eccleſiaſticorum, &
pietatem Catholicorum, dentibus ſuis venenatis velle omnia deuora-
Pſal. 136. re, & radicitus euellere, dicentes: Exinanite exinanite vſque ad fun-
damentum in ea.

Addit ſanctus Ioannes in eodem capite, quod ſimilitudines locu-
ſtarum. Similes erant, equis paratis in prælium. Quia quoſcumque
poſſunt decipere, hæretici, in barathrum ſuæ damnationis inuol-
uunt, ſemper armati & in equis, per quæ ſignificantur argumenta
eorum fallacia, quæ ſimilia ſunt equis paratis in prælium. Equi tamen
non ſunt, quia vera argumenta non ſunt, ſed ſimilitudinem tantum,
& apparentiam habent.

Tertius effectus eſt, poteſtas permiſſiua, data doctrinæ hæretico-
rum, de qua dicit ſanctus Ioannes: Et data eſt illis poteſtas ſicut po-
teſtatem habent ſcorpiones terræ. Per ſcorpiones intelligit ſanctus
Ambroſ. Ambroſius dæmones; quia ſicut ſcorpiones incautos per corpora
veneno ſuo inficiunt; ita dæmones per miniſtros ſuos hæreticos, incau-
tos, negligentes, tepidos, & vitioſos decipiunt, & veneno hæreſis in-
ficiunt.

CAPUT

CAPVT OCTAVVM.

De his, qui non inficiuntur doctrina hæreticorum.

TAnta eſt Dei clementia, pietas, & miſericordia cum omnipotentia, vt ex doctrina hæreticorum, & ex omni peruerſitate impiorum, bona quam plurima eliciat, & operetur Deus in electis ſuis, vt verificetur, quod S. Paulus docuit, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ad Rom. 8. Et ſic præcepit Deus furentibus fluctibus maris, ne tranſirent fines ſuos; ſic Dominus Deus præcepit omnibus hæreticis, ne læderent electos ſuos. Et ſic teſtatur S Ioannes in ſupradicto capite dicens; & præcepit illis ne læderent omne fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem. Per fœnum terræ, & omne viride, intelligit S. Ambroſius, fidelem populum, qui viriditatem fidei habet, & operibus implet, in charitate & viridi obſeruantia legis Euangelicæ. Per arbores intelligit idem S. Ambroſius ſanctos Prælatos Eccleſiæ, & prædicatores, qui non ſunt ſpinæ, vel tribuli, ex quibus neque vuæ, neque ficus colliguntur, ſed ſunt arbores bonorum operum, fructus ferentes, & communicantes per exemplum vitæ, & prædicationem Euangelicæ doctrinæ, de quibus præceptum eſt, ne lædant eos. Et ita legimus in ſæculis præteritis, temporibus hæreſiarcharum præteritorum, & hac noſtra tempeſtate idem perſpeximus.

Rom. 8. *Prou. 8.* *Apoc. 9.* *Ambr.* *Ambr.*

CAPVT NONVM.

De prædicatione doctrinæ hæreticorum, auctore, & magiſtro diabolo.

DE prædicatione, & magiſterio diaboli in hæretica doctrina expreſſis verbis loquitur S. Ioannes in cap. 16. Apocal. dicens: Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetarum exire tres ſpiritus immundos in modum ranarum. Qui quamuis homines ſignificentur futuri in hęreſiarchis, & hæreticis, ſpiritus immundi, & ſpiritus dęmoniorum vocantur, ait S. Ambroſius, quia dæmones in ipſis habitantes, per ora eorum loquuntur, cum per eorum doctrinam, filij diaboli efficiuntur. Ranisque comparantur, quę ſunt reptilia immunda, & in luto viuentia; quia ſicut ranæ in ſordidis aquis immorantur, ita hęreſiarchę, & hęretici, eos facilè decipiunt,

Apoc. 16. *Ambroſ.*

qui diuerſis vitijs, & ſceleribus, non timuerunt ſordidari. Inſuper & ranarum vox rauca, & turpis, impijſſimam hæreticorum prędicationem blaſphemijs plenam deſignat.

2.Cor.4. De his D. Paulus 2. ad Cor. 4. ſic explicat harum ranarum conditiones. Abdicamus occulta, dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei; quod ſi adhuc opertum eſt Euangelium noſtrum, in his, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus ſęculi huius, obcęcauit ſenſus infidelium, vt non peruideant lumen Euangelij maieſtatis Chriſti, qui eſt imago Dei, omnia turpia, & polluta, ait S. Ambroſius, quę fieri & cogitari poſſunt, amouenda docet D. Paulus, vt non ſolum de opere, ſed etiam de cogitatione pellantur, vt ſit dignus quis miniſter prędicationis Euangelij Chriſti. Quę vocantur à D. Paulo occulta dedecoris; tanto peiora ſunt hęc in his, qui prauo ſenſu ad prędicandum meditantur, vt fallant, quanto in ruinam, & perditionem animarum talia exercent hęretici: maximè cum ſubdola mente confingunt doctrinam, ad decipienda corda ſimplicium, turpes inuenientur (ait D. Ambroſ.) in die iudicij. Adulterare verò verbum Dei, quod proprium eſt hęreticorum, hoc eſt verum ſenſum, per falſum velle excludere. Excæcantur verò ne videant lumen Euangelij maieſtatis Chriſti, quia hoc illis pręſtat quod volunt, & intelligentes verum, dicunt eſſe falſum, in eo ipſo adiuuantur, ne poſſint credere quod nolunt.

Ambr. 2.Cor.4.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS
DE MATERIA ET FORMA SYLLOGISMORVM IN COMMVNI.

CAPVT PRIMVM.

De Materia neceſſaria.

PROPOSITIONES maior, & minor,ſunt materia proxima omnium ſyllogiſmorum; & quando hęc materia eſt neceſſaria, eſt ſemper vera. Hoc autem contingit pluribus modis.

Primo cum definitio prędicatur de definito in dictis propoſitionibus, vt homo eſt animal rationale.

Secundo cum pars deffinitionis, ſcilicet genus, vel differentia prędicatur de definito, vt homo eſt animal, homo eſt rationale.

Tertio cum aliqua inſeparabilis proprietas prędicatur de ſuo ſubiecto, vt homo eſt riſibilis; ignis calefaciens.

Quarto cum effectus de ſuis proprijs cauſis prędicatur, vt frigiditas congregat, calor ſeparat.

Quinto cum in dictis propoſitionibus apponuntur prima principia nota per ſe. Vt totum eſt maior ſua parte.

Sexto cum dictæ propoſitiones reducuntur ad prima principia per ſe nota, vt in Mathematicis demonſtrationibus, vt triangulus habet tres angulos equales duobus rectis. Et ex his conficiuntur demonſtrationes euidentes, & neceſſarię.

CAPVT SECVNDVM.

De materia certiſsima in fide Catholica.

PRopoſitiones Articulorum fidei Catholicę,ſunt prima principia, ad conficiendas demonſtrationes Theologicas, quę generant ſcien

Digitized by Google

ſcientiam, & eſt ſcientia ſubalternata, Theologiæ ſcientiæ Beatorum.

Secundo formantur propoſitiones de fide certiſſimæ, ex locis ſacræ Scripturæ in ſenſu litterali, qui efficaciter probat.

Tertio formantur propoſitiones de fide certiſſimæ, in definitionibus ſacrorum Conciliorum, ſi legitimè fuerint congregata, & approbata.

Quarto deſumuntur propoſitiones certiſſimæ de fide, ex definitione ſummi Pontificis facta debita diligentia.

Quinto colliguntur propoſitiones certiſſimæ de fide ex traditione Apoſtolica, vel ex Eccleſiæ conſuetudine approbata.

Sexto ſunt etiam propoſitiones certiſſimæ de fide, quæ ex vnanimi conſenſu ſanctorum Patrum, in explicatione ſacræ Scripturæ, in doctrina fidei, & morum, colliguntur.

Septimo colliguntur etiam propoſitiones certiſſimæ, quando omnes Doctores, Scholaſtici vnanimiter eas docuerunt.

Et ex his conficiuntur demonſtrationes Theologicæ, eo modo quo eſt ſcientia.

CAPVT TERTIVM.

De materia probabili.

Dicitur materia probabilis, non quia veræ, vel falſæ ſunt de ſe propoſitiones, ſed quia pro veris recipi ſolent, propoſitiones huius materiæ. Quia nulla videtur ratio euidens in contrarium. Hæc autem probabilitas pluribus modis contingit.

Primo cum omnium conſenſu, probatæ ſunt, vt amicis eſt benefaciendum.

Secundo cum plurimorum conſenſu probantur, vt diuitiæ ſunt parandę; honores expetendi honeſtè.

Tertio cum conſenſu probatorum hominum probantur, vt virtutes omnes ſectandę ſunt; patientia in omnibus ſeruanda.

Quarto cum omnium ſapientum conſenſu, propoſitiones probantur, vt Sol eſt maior terra. Ex nihilo nihil fit naturaliter.

Quinto dicuntur propoſitiones probabiles, cum à pluribus ſapientibus probantur; vt plura ſunt rerum principia. Sic plurimis Philoſophis placuit, licet non omnibus.

Sexto dicuntur propoſitiones probabiles, quę à paucis ſapientibus celeberrimis tamen, approbantur, vt ideę non ſunt neceſſarię, quod Ariſtoteli, & Peripateticis placuit. Simile eſt, quod datur quinta

ſubitan-

ſubſtantia preter elementa, & quod viſus eſt per intus ſuſceptionem hæc à Peripateticis probatur, & à noſtris etiam Theologis.

Et ex his propoſitionibus probabilibus fit dialecticus, vel topicus ſyllogiſmus, & probabilis.

CAPUT QUARTUM.

De probabilitate Theologica.

IN ſcientia Theologię, & materia Theologica, dantur etiam propoſitiones probabiles, in ea parte, quę non eſt de fide certa, nec definita, nec approbatur ab omnibus ſanctis Patribus, vel ab omnibus Scholaſticis Doctoribus. Et ſic primo modo contingit in hac materia probabilitas, cum in ſupradicta materia formantur propoſitiones Catholicę à pluribus Doctoribus Catholicis, vt quod ſi Adam non peccaſſet Chriſtus non fuiſſet incarnatus.

Secundo modo contingit probabilitas in ſupradicta materia, cum formantur ex ea propoſitiones, quę à doctioribus Theologis probantur, vt quod virtutes morales quatuor, infundantur in baptiſmo ſimul cum Theologalibus; quod probabilius eſſe ex doctrina S. Thom. ab Eccleſia Catholica definitum eſt, id eſſe probabilius.

Et ex his propoſitionibus, fit ſyllogiſmus dialecticus, vel topicus, non tamen demonſtratiuus, in ſcientia Theologię.

CAPUT QUINTUM.

De materia ſophiſtica.

PRopoſitiones, quę in materia ſophiſtica formantur, in omni alia materia tàm demonſtratiua, quàm Theologica, quàm probabili, inueniuntur apparentes, & cum aliqua ęquiuocatione, vel aliquo ex plurimis modis ſophiſticis, quibus formari ſolent, vt in fallacijs ſophiſticis latius infra dicemus. Propriè tamen, in probabilibus, vel apparentibus conficiuntur, & formantur fallacię ſophiſticę.

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

De forma, figura, & modo ſyllogiſticis.

DIcitur forma ille ordo ſyllogiſticus rectus, quia dat eſſe veritati concluſionis, vel probabilitati, vel ſophiſticæ perſuaſioni.

Dicitur figura, quia repreſentat ordinem ſyllogizandi.

Dicitur modus, quia tàm forma, quàm figura eo modo, quo diximus, modificantur diuerſis modis; vt in tractatu, & opuſculo de figuris ſyllogiſmi infra apparebit. Hæc in communi dicta ſint.

TRACTATVS QVINTVS
DE OPVSCVLIS LOGICALIBVS S. THOMAE
PRO THEORICA ET PRACTICA HVIVS ARTIS.

DIVVS Auguſtinus in lib. 6. contra Iulianum cap. 20. poſt longam diſputationem, per ſex libros contra argumenta Pelagianorum, & Iuliani, & contra eorum hæreſim, tandem his verbis refert ſtatum hæreſis illorum, & illius ſectatorum, ad hoc reducta eſt hæreſis veſtra, vt gemant ſectatores veſtri non inueniri dialecticos in Eccleſiã, à quibus poſitis abſolui. *Auguſt.*

Ex quibus verbis colligitur primo, quod hæretici omnem eorum vim in dialectis rationibus ponunt, & ſic in omni tempore fuit, eſt, & erit, quia non habent aliam artem, nec poſſunt habere, ad fundandos, tuendos, cooperiendiſque ſuos, errores maximè cum arte ſophiſtica, in qua fundantur.

Sequitur ſecundo. Quod in Eccleſia, neceſſarij ſunt Dialectici periciſſimi, ad conuincendos eos, per eaſdem fallacias, & ad ſoluendum eorum argumenta in forma.

Sequitur tertio. Quod in hoc libro & in hac arte, vt præ manibus habeant omnia neceſſaria, qui ea vti voluerint, addenda ſunt opus. S. Thomæ logicalia, vt ſicut principia ex S. Thom. deſumpta ſunt, ex lib. contra gentes, ſic etiam & medium & finis (vt in vltimo tractatu de practica Artis dicemus) ex eodem S. Thom. deſumantur, quia nullus alius melius, perfectiuſque iſta, ſicut & alia omnia, pertractauit, ordine mirabili, & valde bono, & verbis proprijs, & efficaciſſimis, ad arguendum, & conuincendum, in omni materia, argumenta, & fallacias hæreticorum. *S. Thom.*

E DE

DE INTERPRETATIONE, ſeu enuntiatione.

CAPVT PRIMVM.

De nomine quid ſit ſecundum intentionem logicam.

DICTO de his, quæ quantum ad rem ſignificatam pertinet ad primam operationem intellectus, quæ eſt indiuiſibilium intelligentia, vt in 3. de anima dicitur, quia videlicet res cognoſcitur quantum ad ſuam quidditatem.

Ariſt. 3. de anima.

Nunc dicendum eſt de his, quæ pertinent ad ſecundam operationem intellectus, quæ ibi compoſitio, vel diuiſio nominatur, qua ſcilicet intellectus noſter vnam rem cum alia componit, vel ab alia eam diuidit, per eſſe, ſcilicet & non eſſe. Et dicitur tractatus iſte de enuntiatione, ſeu propoſitione, largè ſumpta propoſitione. Si enim strictè ſumeretur, tunc enuntiatio eſſet genus eius. Propoſitio enim ſolum dicitur de præmiſſis ipſius ſyllogiſmi, ſed enuntiatio dicitur tàm de præmiſſis, quàm de præconcluſione.

Ad cognoſcendum autem dictam enuntiationem, dicendũ eſt primo cum Ariſtotele de partibus ſuis, ſcilicet de nomine, & verbo, & de eius genere, quod eſt oratio. Nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, finita, & recta. In iſta nominis diffinitione ponitur vox pro genere.

Notandum, quòd vt habetur 2. Metaphyſ. hæc eſt differentia inter diffinitionem ſuppoſitorum, & diffinitionem formarum ſiue ſubſtantialium, ſiue accidentalium. Nam in diffinitione ſuppoſitorum nihil ponitur, quod ſit extra eſſentiam diffiniti, ſed omnes particulæ diffinitionis ſunt de eſſentia diffiniti. Formæ vero, quia non poſſunt per ſe eſſe, ſed in alio, ſcilicet in ſubiecto, vel in materia, in ſui diffinitione requirunt ſubiectum, vel materiam, quæ tamen non ſunt de eſſentia earum, & ideo ipſarum diffinitiones dicuntur eſſe per additamenta, vnde formæ accidentales in ſui diffinitione requirunt ſubiectum. Hæc eſt autem differentia inter eas diffiniendo. Nam formæ abſtractæ aliter requirunt ſubiectum in earum diffinitionibus quàm formæ ſumptæ in concreto; formæ abſtractæ requirunt ſubiectum loco differentiæ, vt cum dicimus, criſpitudo eſt contractio capillorum, vbi capilli

Ariſtot. 2. Metaph.

qui ſunt ſubiectum criſpitudinis, ponuntur loco differentiæ. In concreto vero requirunt ſubiectum loco generis, vt cum dicimus criſpum eſt capillus contractus.

Hoc habito ſciendum eſt, quòd nomen, verbum, & oratio ſunt quędam artificialia, & per conſequens accidentia, eorum autem ſubiectum eſt vox, quæ eſt quid naturale. Ars enim in voce, vt in ſubiecto format nomina verba, & orationes, & ideo in eorum diffinitionibus debet poni vox vt ſubiectum. Et quia concreta ſunt, ideo in eorum diffinitionibus ponitur vox pro genere. Dicitur autem vox ſignificatiua, ad differentiam vocum non ſignificatiuarum quæcumque ſint illæ, quæ videlicet pro nihilo proferuntur. Ad placitum autem dicitur, ad differentiam vocum ſignificatiuarum naturaliter, vt ſunt latratus canum, qui ſignificant iram, prout natura dictauit eis, quoniam non ſignificat ſecundum inſtitutionem humanam. Sine tempore vero dicitur ad differentiam verbi, & participij. Vbi nota, quod vt ſupra in alio tractatu dictum eſt, actio paſſio, & motus ſunt vna res, verbum autem ſignificat per modum actionis, vel paſſionis, & per conſequens per modum motus, ſeu mutationis. Primum autem, quod habet menſurari tempore, eſt motus, verbum vero ſignificat cum tempore. Sciendum, quod actio, & paſſio dupliciter poſſunt ſignificari, vel per modum abſtractum, vt ſint quædam res, & tunc non ſignificant cum tempore, ſignificant enim per modum habitus, & quietis, ſcilicet ſine motu, & ſic ſignificantur à nomine. Alio modo ſignificantur per modum actionis prout ſunt egredientes à ſubiecto, & ſic ſignificantur vt motus, vel mutationes, & per conſequens, vt menſurantur tempore, & ſic ſignificantur à verbis formaliter, & non materialiter ſumptis, & etiam à participijs, non à nomine, nomen ergo ſignificat ſine tempore.

Deinde dicitur, quod nominis nulla pars ſignificat ſeparata, ad differentiam orationis, cuius partes ſignificant ſeparatæ. Vbi nota, quòd ſignificatio ſe habet ad nomen, vt forma eius, littera vero, & ſyllabæ ſunt vt materia eius, ſeu vt partes integrales. Cum autem nulla pars ſit quæ non habeat formam totius in toto, ideo nulla pars ſeparata habebit per ſe ſignificationem, niſi ſolum illam quam habet totum. Vnde in nominibus compoſitis, vt ſunt terranoua, caſtrum Ioannis, ſi ſignificatum eſſet diuiſum, puta quod intelligeretur pro terra quæ eſſet noua, tunc non eſſet nomen, ſed oratio, ſi vero ſignificatum ſuum eſſet vna res, puta villa vel huiuſmodi, tunc erunt nomina. Deinde dicitur finita, ad differentiam nominum infinitorum, ſicut eſt non homo. Vbi nota, quod omne nomen accipiendo etiam pronomen pro nomine, aut ſignificat determinatam naturam, vt homo, aut determinatam

perſonam, vt ego & tu, aut determinatam naturam, & perſonam, vt Sortes Plato, cum autem nomen infinitum nihil horum ſignificet, non verè poterit dici nomen. Quod autem nihil horum ſignificet, patet. Nam nomen, quod imponitur à priuatione ad minus requirit ſubiectum exiſtens, non enim cœcum dicitur nomine animalis, ſed ſupponit, quod illud quod eſt cœcum, ſit aptum natum habere oculos. Nomen autem infinitum cum à negatione imponatur, nihil ſupponit, poteſt enim dici de ente, ſicut de non ente. Dicimus enim quod chimera eſt non homo, vt equus eſt non homo, vnde talia ſignificant ſolum per modum nominis, quia ad minus eſt ſuppoſitum incomprehenſione. Deinde dicitur recta, ad differentiam caſuum obliquorum, qui cadunt à recto, ſeu nominatiuo per quandam originem declinationis. Solus enim nominatiuus dicitur nomen principaliter, quia per ipſum facta eſt impoſitio nominis ad aliud ſignificandum. Non autem pertinent obliqui directè ad logicum, qui verſatur circa verum, & falſum, quia tales caſus, ſcilicet obliqui cum hoc verbo ſum es eſt, in quod omnia verba reſoluuntur, nō dicitur verum vel falſum. Nihil tamen prohibet eos, cum aliquibus verbis imperſonalibus iungi, & ſignificare verum vel falſum, ut tædet me lectionis, & ſic patet de nomine, &c.

CAPVT SECVNDVM.

De verbo quid ſit formaliter ſecundum deſcriptionem logicam.

VErbum eſt uox ſignificatiua ad placitum, cuius nulla pars ſignificat ſeparata finita, & recta, & ſemper eſt ſignificatiuum eorum, quæ de altero prædicantur. In iſta diffinitione, uox ſignificatiua ad placitum cuius nulla pars ſignificat ſeparata, intelliguntur eodem modo quo in nomine dicta ſunt. Dicitur autem finita ad differentiam uerborum infinitorum, ut ſunt non currit, non amat, quæ non propriè ſunt uerba. Vbi nota, quod proprium eſt uerbi ſignificare aliquid per modum actionis, & paſſionis, ut ſupra dictum eſt. Prædictæ autem dictiones hoc non faciunt, imo remouent actionem, uel paſſionem potius, quàm aliquam determinatam actionem, uel paſſionem ſignificent. non ergo propriè ſunt uerba. Sciendum, quod licet hæc proprè non ſint uerba tamen aliqua poſita in diffinitione uerbi eis conueniunt, primo quia ſignificant cum tempore. Sicut enim agere & pati ſunt in tempore, ita etiam priuatio eorum, unde & quies tempore menſuratur, dictiones autem prædictæ ſignificant priuationem actionis, & paſſionis, ut dictum eſt. Secundum eſt, quia ponitur in diffini-

Digitized by Google

diffinitione uerbi, quod ſemper ponitur ex parte prædicati, quia eſt ſignificatiuum eorum, quæ de altero prædicantur, quod ſic intelligitur. Quia enim ſubiectum enuntiationis ſignificatur, vt id cui aliquid inhæret, verbum autem ſignificat actionem per modum actionis, vt dictum eſt, de cuius ratione eſt, quod inhæreat: ideo ſemper ponitur ex parte prædicati, etiam quia in omni prædicatione oportet, quod ſit verbum, cum verbum importet compoſitionem qua prædicatũ componitur ſubiecto. Vnde ſicut verba ſignificando actionem, vel paſſionem ſignificant aliquid vt in alio exiſtens, propter quod ſemper ponuntur ex parte prædicati, ita etiam prædicta verba infinita, quia ſignificant remotionem actionis vel paſſionis, ſemper ponuntur ex parte prædicati. Negatio enim reducitur ad genus affirmationis. Sciendum, quod verba infinitiui modo aliquando ponuntur ex parte ſubiecti, vt cum dicimus currere eſt moueri, & hoc eſt, quia habent vim nominis. Vnde Græci addunt eis articulos, ſicut nominibus, hoc idem facimus nos in logica vulgari. Nam dicimus, el correre mio, vbi ly, el, eſt articulus. Intellectus enim noſter proceſſum actionis, vel paſſionis, ſeu inhærentiam eius in ſubiecto apprehendit, & ſignificat, vt eſt res quædam, & ſic habet vim nominis.

Si autem verba aliorum modorum aliquando ponuntur ex parte ſubiecti, vt cum dicimus curro, eſt verbum, tunc non ſumitur verbum formaliter, ſed materialiter, ſecundum quod ſignificat ipſam vocem, quæ accipitur vt res quædam, vnde verba, & orationes, & omnes partes orationis, quando ſic ponuntur materialiter, ſumuntur in vi nominis. Deinde ponitur in diffinitione, recta, ad differentiam verborum obliquorum, ſcilicet præteriti, & futuri temporis, quæ non ſunt ſimpliciter verba. Cum enim verba propriè dicta ſignificent agere vel pati, hoc erit propriè verbum, quod ſignificat agere vel pati in actu, quod eſt agere vel pati ſimpliciter, hic autem ſignificant verba præſentis temporis, agere autem vel pati in præterito vel in futuro eſt ſecundum quid, & ideo verba præteriti, & futuri temporis non ſunt ſimpliciter uerba, ſed ſecundum quid. Dicuntur autẽ caſus uerbi præſentis temporis, quia aliquo modo ſignificant tẽpus præſens. Præteritũ enim, & futurũ tẽpus dicuntur per reſpectũ ad præſens. Eſt enim præteritũ tẽpus, quod fuit præſens: & futurũ, quod erit præſens, & ſimiliter verba aliorũ modorũ, cũ ſit uerbũ indicatiui modi, caſus uerbi dicuntur, quia earũ uariatio reſpicit ipsã actionẽ, vel paſſionẽ, ſicut & variatio temporum: & quia uariatio uerborum in numero, & perſona non reſpicit ipſam actionem, uel paſſionem, ſed ſolum ſubiectum, cui actio uel paſſio inhæret, ideo non faciunt caſus uerbi, &c.

C A P V T T E R T I V M.

De oratione quid ſit, & de ſpeciebus eius.

ORatio eſt uox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſignificant ſeparatæ. Qualiter autem huius diffinitionis particulæ ſint intelligendæ, dictum eſt in diffinitione nominis. Diuiditur autem oratio in perfectam, & perfectam. Oratio imperfecta dicitur, quæ imperfectum ſenſum generat in animo auditoris, ubi nota, quod ut dicitur 5. Metaphyſicæ. Perfectum eſt cui nihil deeſt in genere ſuo: ſenſui autem quem generat oratio imperfecta in animo auditoris aliquid deeſt, quia deeſt ſibi compoſitio, uel diuiſio. Si enim dico, homo albus, quæ eſt oratio imperfecta, nihil dico ſibi ineſſe, uel non ineſſe, & per conſequens ſenſus huius orationis facit ſtare animum ſuſpenſum, quia ſibi aliquid deeſt ideo eſt imperfectus.

Ariſtot 5. Metaph.

Sciendum tamen, quod non ſine cauſa oratio perfecta & imperfecta diffinitur per generare ſenſum. Vbi nota; quod licet oratio, & quælibet eius pars, ſint quædam res artificiales, & non naturale, nec etiam ſint inſtrumenta naturalia uirtutis interpretatiuæ, ut Plato dicebat. Eius namque uirtutis inſtrumenta naturalia ſunt pulmo, guttur, palatum, lingua, dentes, & labia, ſunt tamen inſtrumenta ipſius intellectus, qui non eſt uirtus materialis, ſed ſupra omnem naturam corpoream: inſtrumentum autem diffinitur ex fine, qui eſt uſus eius, uſus autem uocis ſignificatiuæ, eſt ſignificare audienti conceptum intellectus dicentis. Bene ergo diffinitur oratio perfecta & imperfecta per generare ſenſum, ſeu ſignificare. Vnde oratio perfecta dicitur, quæ perfectum ſenſum generat in animo auditoris propter complexionem, quam dicit. Orationum autem perfectarum quinque ſunt ſpecies, ſcilicet enuntiatiua, uocatiua, interrogatiua, imperatiua, & deprecatiua.

Plato.

Sciendum quod ratio non ſolum concipit ipſas res: ſed etiam per ſuum conceptum alia dirigit, & ordinat, concipiendo autem res in ſe, format orationem indicatiuam ſeu enuntiatiuam: ordinando autem alia, format alias orationes. Dirigitur autem & ordinatur aliquis ab aliquo ad tria. Primo ad mente attendendum, & ad hoc pertinet oratio uocatiua. Secundo, ad uoce reſpondendum, & ad hoc pertinet oratio interrogatiua. Tertio ad opus exequendum, & ad hoc pertinet quantum ad inferiores, oratio imperatiua, quantum vero ad ſuperiores oratio deprecatiua, ad quam reducitur oratio optatiua, quia reſpe-

cta ſu-

ctu ſuperioris, homo non habet vim innatam, niſi per expreſſionem ſui deſiderij: ſuppoſitiua vero, ideſt conditionalis, & dubitatiua reducuntur ad interrogatiuam. Et quia iſtæ quatuor ſpecies orationis non ſignificant verum, vel falſum, ſed quendam ordinem ad iſta conſequentem, ideo non pertinet ad præſens negotium, quod directè ordinatur in ſcientiam demonſtratiuam, in qua auris hominis per rationem adducitur ad conſiderandum verum ex his quæ ſunt propria rei: ſed magis pertinent ad rhetoricam, vel poeticum, quæ inducunt ad aſſentiendum per diſpoſitionem audientis. Sola autem enunciatiua, quæ ſignificat verum vel falſum, ad hoc negocium ſpectat, & ſi quæ aliæ orationes ad eam reduci poſſunt.

CAPVT QVARTVM.

De enunciatione quid ſit, & quid eſt verum, & falſum.

ENuntiatio eſt oratio verum vel falſum ſignificans. Ad intelligendum autem hanc diffinitionem, primo videndum eſt quid ſit verum vel falſum, ſecundo videndum eſt quare ſoli enuntiationi conueniat ſignificare verum vel falſum. Quantum ad primum ſciendum, quod vt communiter dicitur, veritas eſt adæquatio rei ad intellectum, ſecundum hanc, verum dicitur adæquatum, falſum vero non adæquatum. Hæc autem adæquatio, ſeu conformitas non poteſt eſſe relatio realis, alioquin verum non conuerteretur eum mente. Quod enim eſt in vno prædicamento tantum, non poteſt eſſe de tranſcendentibus. eſt ergo relatio rationis, & ſic verum eſt relatiuum ſecundum rationem, quod nihil prohibet ipſum eſſe in pluribus prædicamentis, uel in omnibus. Quæ autem ſit hæc conformitas, dico quod in intellectu quædam ſunt ſubiectiue, vt ſpecies intelligibiles, actus intelligendi, & huiuſmodi: quædam ſunt obiectiue, ut ea quæ intellectus intelligit. Quando ergo res quæ eſt in intellectu obiectiue, eſt conformis ſibi ipſi, ut eſt in rerum natura, tunc talis conformitas dicitur ueritas. Vnde in hoc conſiſtit ueritas, quòd res ſic apprehenditur ab intellectu ſicut eſt in rerum natura, & per oppoſitum falſitas eſt in difformitate rei, ut apprehenſa eſt ab intellectu, ad ſe ipſum, ut eſt in natura ſua, & propter hoc Philoſo. 4. meta. dicit, quòd uerum eſt eſſe quod eſt, & non eſſe quod non eſt: falſum uero, eſt eſſe quod non eſt, & non eſſe quod eſt. Vnde quando intellectus intelligit rem ſic eſſe ſicut eſt in rerum natura, uel non eſſe ſicut non eſt, talis conformitas dicitur ueritas. Quando uero apprehendit rem eſſe ut non eſt, uel non eſſe ut eſt,

Ariſtot 4. Metaph.

tunc falſitas. Sciendum, quòd in tali conformitate quæ ueritas dicitur, eſt conſiderare quatuor, ſcilicet rem vt eſt intellecta, ſeu vt eſt in intellectu obiectiue, & ipſum intellectum eam intelligentem, & actum intelligendi, qui eſt ſubiectiue intellectu, & rem vt eſt in natura ſua. In re autem vt eſt intellecta, ſeu vt eſt obiectiue in intellectu eſt per prius veritas, quàm ſit in intellectu, vel quàm ſit in actu intelligendi, vel quàm ſit in re, vt eſt in in ſua natura. Intellectus enim, & actus intelligendi, non dicuntur veri, niſi quia ſunt de vero obiecto. Intellectus enim dicitur verus, quia apprehendit verum, & actus intelligendi dicitur verus, quia eſt apprehenſio alicuius veri, & res in natura ſua dicitur vera, quia nata eſt apud intellectum cauſare apprehenſionem conformem entitati ſuæ.

Notandum quod talis conformitas rei, vt intellecta eſt ad ſeipſam, vt eſt in natura ſua, poteſt eſſe, vel in intellectu pratico, vel in intellectu ſpeculatiuo. In intellectu quidem practico, quando, ſcilicet ſic eſt res per ſuam formam, ſicut apprehendit eam artifex per artem ſuam. Cum autem omnes res naturales, per formam ſuam ſint conformes ſibiipsis, vt apprehẽſæ ſunt ab arte diuina, ideo quælibet res ſecundum quod habet propriam formam dicitur vera, & ſic uerum & ens conuertuntur. In intellectu uero ſpeculatio eſt talis conformitas, quia intellectus intelligit rem ſicut eſt. Non enim intellectus ſic intelligit, ſicut res in intellectu practico, ſed quia ſicut res eſt, ita eam intelligit intellectus: & ideo intellectus practicus comparatur ad artificialia, ut menſura ad menſuratum, è conuerſo autem intellectus ſpeculatiuus comparatur ad ea quæ intelligit ut menſuratum ad menſuram. Notandum quòd aliqui tenent, quòd ueritas eſt conformitas rei ad intellectum informatum ſimilitudine rei, falsitas uero & difformitas intellectus ſic informati ad rem. Et hæc opinio probabiliter poteſt teneri. Sic ergo patet quid eſt ueritas & falsitas, &c.

CAPUT QUINTUM.

Quòd ueritas & falſitas ſunt tantum in enuntiatione, & quare.

QVantum ad ſecundum, ſcilicet quare ueritas & falsitas ſunt in enuntiatione tantum, ſciendum quòd ueritas non eſt in uoce ſignificatiua, ſiue ſit nomen, uel uerbum, uel oratio, niſi ſicut in ſigno, ſunt autem huiuſmodi ſigna conceptionum intellectus. Secundum ergo, quod in conceptionibus intellectus erit uerum, uel falſum, ſic dicetur eſſe in ipſis ſignis. Sciendum quòd ut dicitur tertio *Ariſt. 3 de anima.*

de ani-

de anima, duplex eſt operatio intellectus, ſcilicet indiuiſibilium intelligentia, quando ſcilicet intellectus intelligit quidditatem rei in ſe: & compoſitio & diuiſio, ſcilicet quando vnam rem conceptam componit per eſſe, vel diuiſio quando diuidit per non eſſe, & in vtraque operatione intellectus inuenitur veritas.

Vbi nota, quòd ſicut dictum eſt, veritas eſt relatio rationis, entia autem rationis nuſquam ſunt ſubiectiuè, niſi largo modo intelligatur, ſecundum illud cui ratio attribuit talem reſpectum rationis, habet ergo veritas ſolum eſſe obiectiuè, & ſimiliter dico de falſitate. Vnde ſi conſideramus illud quod primo verum eſt, ſcilicet rem vt eſt intellecta, & vocemus verum, dico quòd tale verum poteſt eſſe in prima operatione intellectus. Nam intellectus intelligit ipſam rem, vt eſt in ſe, & ſic intelligit verum; falſum autem non intelligit intellectus in prima operatione ſua, quia vel attingit naturam rei, & tunc intelligit verum, aut non attingit, & tunc ignorat, & non eſt ibi propriè difformitas rei intellectæ ad naturam eius, quia nec talis res eſt intellecta; ſed aliqua alia, & ideo non eſt ibi falſitas, quæ propriè importat deceptionem, & non ignorantiam ſolam: & inde eſt quod Philoſophus tertio de anima dicit, quòd intellectus comprehendens quòd quid eſt, ſemper eſt verus. Hoc autem non eſt perfectè comprehendere veritatem, quæ eſt conformitas vtriuſque, ſcilicet rei, vt intellecta eſt, & rei in ſua natura; ſed eſt cognoſcere vnum conforme, ſeu verum. In ſecunda vero operatione intellectus eſt perfectè, & completiuè veritas obiectiuè. Nam apprehendere veritatem, eſt apprehendere conformitatem rei intellectæ ad ſe ipſam ſecundum ſuam naturam, vt dictum eſt: hoc autem fit comparando vnum alteri, vel idem ad ſeipſum ſecundum aliud, & aliud eſſe, quod non poteſt fieri niſi per ſecundam operationem intellectus ergo perfectè veritas non eſt, niſi in intellectu componente, vel diuidente, & ſimiliter dico de falſitate.

Tenendo vero ſecundam opinionem prædictam, erunt clariora. Nam ſi veritas eſt conformitas, rei ad intellectum informatum ſimilitudine rei, in prima operatione intellectus erit verum, quia erit ibi talis conformitas, non tamen erit verum tunc in intellectu, vt in cognoſcente verum. Non enim intellectus aliter cognoſcit verum, niſi componendo, vel diuidendo ſecundum ſuum iudicium, quod iudicium ſi conſonet rebus, erit verum, puta cum intellectus iudicat ſe eſſe informatum ſimilitudine rei, vt res eſt. Et oppoſitum eſt de falſo, & hoc totum pertinet ad ſecundam operationem intellectus, & non ad primam. Ex dictis poteſt patere, quòd in ſola enuntiatione ſit veritas, vel falſitas, vt in ſigno. Si enim ſola enuntiatio eſt ſignum eorum quæ

ſunt obiectiuè in ſecunda operatione intellectus, & ſolum in illum eſt verum & falſum, in enunciatione erit verum, vel falſum, & non in aliqua alia voce, ſiue ſit dictio, ſiue oratio: & ſic patet quid eſt enunciatio.

CAPVT SEXTVM.

De enuntiatione cathegorica, & hypotetica, affirmatiua, & negatiua.

Diuiditur autem ab Ariſtotele enuntiatio tripliciter, & primo, vt analogum in ſua analogata. Dicit enim quòd enuntiationum quædam eſt vna ſimpliciter, quædam coniunctione vna. Enuntiatio vna ſimpliciter eſt enuntiatio cathegorica quæ habet ſubiectum & prædicatum principales partes ſui, vt homo eſt animal, homo eſt ſubiectum, animal eſt prædicatum, hoc verbum eſt, quia prædicatur tertium adiacens, dicitur coniunctio, ſeu copula verbalis. Coniunctione vero una dicitur enuntiatio hypothetica, ſeu ſuppoſitiua, vt ſi homo eſt, animal eſt. Hæc etiam diuiſio enunciationis eſt analogi in ſua analogata, de quibus per prius & poſterius dicitur, nam unum ſimpliciter eſt prius uno coniunctione.

Secundo diuidit enuntiationem, ut genus in ſuas ſpecies: diuidit enim eam in affirmationem & negationem, quæ ſunt ſpecies enuntiationis. Licet enim affirmatio ſit prior negatione, non tamen propter hoc enuntiatio de eis analogicè prædicatur, ſicut dictum eſt, quòd prædicatur de ſimpliciter una, & coniunctione una. Notandum quòd unum diuidentium aliquod commune poteſt eſſe prius altero dupliciter. Vno modo, ſecundum proprias rationes, aut naturas diuidentium. Alio modo, ſecundum maiorem participationem rationis illius communis, quod in ea diuiditur. Primum autem non tollit uniuocationem generis, ut manifeſtum eſt in numeris, in quibus binarius ſecundum propriam rationem naturaliter eſt prior ternario, ſed tamen æqualiter participant rationem communis, ſcilicet numeri. Nam ita ternarius ſicut & binarius eſt multitudo menſurata per unum. Secunda autem prioritas impedit uniuocationem generis, & propter hoc ens non poteſt eſſe genus ſubſtantiæ, & accidentis, quia in ratione entis prius habet eſſe ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe, quàm accidens, quod eſt ens in alio, uel in aliud. Sic in propoſito. Licet affirmatio primo modo, ſcilicet ſecundum ſuam naturam, ſit prior negatione, non tamen ſecundo modo, immo æqualiter participant rationem enuntiationis, utraque enim eſt oratio, uerum uel falſum ſignificans.

Eſt au-

Eſt autem ſecundum ſuam naturam affirmatio prior negatione. Nam affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo, ut homo eſt animal: negatio uero eſt enunciatio alicuius ab aliquo, ut homo non eſt lapis. Cum autem enunciatio, ut dictum eſt, ſit uox ſignificatiua, non immediatè ſignificat rem, ſed mediante conceptu intellectus. Vnde in omni enunciatione eſt tria conſiderare, ſcilicet, ipſam vocem, quæ eſt ſignum conceptus intellectus, & ipſum conceptum intellectus, qui eſt ipſa ſimilitudo rei, & ipſam rem. Quantum ad vocem, prior eſt affirmatio negatione, quia minus habet de compoſitione, quam negatio, plures enim dictiones ſunt, Sortes non currit, quàm Sortes currit, & per conſequens eſt magis compoſita. Ex parte intellectus prior eſt affirmatio, quæ ſignificat compoſitionem, quàm negatio, quæ ſignificat diuiſionem. Poſterior enim eſt diuiſio compoſitione, ſicut non eſt corruptio niſi generatorum, ſic non eſt diuiſio niſi compoſitorum. Ex parte etiam rei affirmatio, quæ ſignificat eſſe, prior eſt negatione, quæ ſignificat non eſſe, ſicut habitus naturaliter prior eſt negatione.

Tertia vero diuiſio ipſius enuntiationis eſt in vniuerſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem. Sufficientia autem dictarum diuiſionum, poteſt ſic ſumi. In ipſa enim enuntiatione eſt conſiderare totam ſuam entitatem quæ eſt ex ſubiecto & prædicato, & ipſorum coniunctionem. Et quia omne quod eſt, ideo eſt quia vnum numero eſt, ideo conſideratur vtrum ſit vna ſimpliciter, vel vna coniunctione, & iſta diuiſio dicitur pertinere ad ſubſtantiam enuntiationis. Secundo eſt in ea conſiderare ipſum prædicatum, vt componitur ſubiecto ſine negatione, vel cum negatione: & quia prædicatum eſt pars formalis enunciationis, ideo hæc diuiſio dicitur pertinere ad qualitatem enuntiationis, qualitatem, ſcilicet eſſentialem, ſecundum quod differentia ſignificat quale quid, vt ſupra dictum eſt. Tertio eſt in ea conſiderare ipſum ſubiectũ, prout ſcilicet eſt prædicabile de pluribus, vel de vno, & ſic ſit tertia diuiſio, & hæc dicitur pertinere ad quantitatem enunciationis, nam quantitas ſequitur materiam. Vnde verſus. Quæ ca. vel hyp qualis, ne vel aff. v. quanta par. in ſin. Hic autem verſus ſic intelligitur. In eo namque ſunt tria nomina interrogatiua, ſcilicet. Quæ, quod quærit de ſubſtantia. Qualis quod quærit de qualitate. Et quanta, quod quærit de quantitate. Vnde quando fit interrogatio per quæ, quærendo, ſcilicet de ſubſtantia enuntiationis, reſpondetur cathegorica, vel hypothetica. Quando fit interrogatio per qualis, reſpondetur negatiua, vel affirmatiua. Quando vero fit interrogatio per quanta, reſpondetur vniuerſalis, particularis, indefinita, vel ſingularis. De prima diuiſione enuntiationis dicetur in tractatu de enuntia-

rionibus hypoteticis. De ſecunda vero eius diuiſione, ſatis dictum eſt.

CAPVT SEPTIMVM.

De quantitate propoſitionum cathegoricarum de ineſſe, ſcilicet de vniuerſali, particulari, indefinita, & ſingulari.

RESTAT dicere de tertia diuiſione, quæ eſt ſecundum quantitatem. Vbi nota, quod enuntiationum cathegoricarum, quædam ſunt de ineſſe, quædam vero modales. Dicitur autem enuntiatio de ineſſe, quæ eſt de ſimplici inhærentia prædicati ad ſubiectum, vt homo eſt animal. Modalis vero in qua inhærentia prædicati ad ſubiectum modificatur, vt Sortem currere eſt poſſibile, vel homo eſt animal neceſſario.

Vnde primo dicendum eſt de quantitate, æquipollentijs, oppoſitionibus, quæ quantitatem ſequuntur in enuntiationibus de ineſſe, ſecundo de eis in enuntiationibus modalibus. Ad videndum autem quantitatem ipſarum enuntiationum de ineſſe, ſciendum quod ea, quæ intellectus apprehendit, quædam ſunt vniuerſalia, videlicet, quæ apta nata ſunt in pluribus inueniri: quædam ſunt ſingularia, videlicet quæ non ſunt apta inueniri niſi in vno.

Vniuerſale autem poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo quaſi ſeparatum à ſingularibus, ſcilicet ſecundum eſſe quod habet in intellectu obiectiuè: alio modo ſecundum eſſe quod habet in ſingularibus. Primo modo conſiderato vniuerſali, aliquid de eo poteſt dupliciter enuntiari. Vno modo, quando ei attribuitur aliquid, quod pertinet ad ſolam actionem intellectus, vt cum dicimus, homo eſt prædicabilis de multis, vel homo eſt vniuerſale, uel homo eſt ſpecies. Huiuſmodi enim intentiones format intellectus, & attribuit eas naturæ intellectæ, puta homini ſecundum quod comparat ipſam ad res quæ ſunt extra animam. Alio modo, enuntiatur aliquid de uniuerſali ſic ſumpto, quando attribuitur ſibi aliquid prout ipſa natura intellecta apprehenditur ab intellectu ut vnum, illud tamen quod ei attribuitur, non pertinet ad actum intellectus, ſed ad eſſe quod habet ipſa natura intellecta in rebus quæ ſunt extra animam, puta ſi dicatur, homo eſt digniſſima creaturarum, hoc enim conuenit naturæ humanæ, ſecundum quod eſt in ſingularibus. Nam quilibet homo ſingularis eſt dignior alijs creaturis irrationalibus: ſed tamen omnes homines ſingulares non ſunt unus homo extra animam, ut dicitur in prædicta enuntiatione, homo

eſt di-

Digitized by Google

eſt digniſſima creaturarum, ubi ly homo, ſtet pro omnibus ſingularibus, ſed ſolum in acceptione intellectus eſt vnus. Et quia communiter non eſt apprehenſum quod vniuerſalia extra ſingularia ſubſiſtant, ideo communis vſus loquendi non habet aliquam dictionem, ſeu aliquod ſignum, quod addatur vniuerſali, ſecundum dictos modos, quibus aliquid de eo prædicatur. Sed Plato qui poſuit vniuerſalia ſubſiſtere extra ſingularia, inuenit quaſdam dictiones, quas addebat vniuerſalibus in talibus modis prædicandi. Dicebat enim per ſe homo eſt ſpecies, vel homo prædicabilis eſt ſpecies.

Secundo modo enuntiatur aliquid de vniuerſali, ſecundum quod eſt in ipſis ſingularibus, & hoc dupliciter. Vno modo cum attribuitur ſibi aliquid ratione ipſius vniuerſalis, quod videlicet ad eſſentiam ipſius pertinet, vel conſequitur principia eſſentialia ipſius, vt cum dicitur, homo eſt animal, vel homo eſt riſibilis. Alio modo, quando attribuitur ei aliquid ratione ſingularis, in quo inuenitur, ſcilicet quando attribuitur ſibi aliquod accidens indiuiduale, vt cum dicitur, homo ambulat. Et quia iſte modus enuntiandi aliquid de vniuerſali, cadit in communi apprehenſione hominum, ideo inuentæ ſunt quædam dictiones ad deſignandum modum attribuendi aliquid vniuerſali ſic accepto. Vnde ſi attribuitur ſibi aliquid primo modo, ſcilicet ratione ipſius, vt vniuerſale eſt, quia hoc eſt vniuerſaliter de eo aliquid prædicari, ideo adinuentum eſt hoc ſignum, omnis, quod deſignat, quod prædicatum attribuitur ſubiecto vniuerſaliter quantum ad totum illud quod ſubiecto continetur. In negatiuis vero prædicationibus ad idem inuenta eſt hæc dictio, nullus, per quam ſignificatur, quod prædicatum remouetur à ſubiecto vniuerſaliter ſecundum totũ quod continetur ſub eo. Si vero attribuitur ei aliquid ſecundo modo, ſcilicet ratione ſingularis, ad hoc deſignandum in affirmatiuis inuentum eſt ſignum particulare, ſcilicet hæc dictio, quidam, vel aliquis, per quam deſignatur, quod prædicatum attribuitur vniuerſali ſubiecto ratione ipſius particularis. Sed quia indeterminatè formam alicuius ſingularis ſignificat, ideo deſignat vniuerſale ſub quadam indeterminatione. Vnde & dicitur indiuiduum vagum.

In negatiuis vero non eſt inuenta aliqua dictio ſeu aliquod aliud ſignum, ſed dicimus, quidam homo non currit, vel nonnullus homo currit. Sic ergo ſunt tria genera affirmationum in quibus de vniuerſali aliquid prædicatur. Vna, in qua de vniuerſali aliquid prædicatur vniuerſaliter, vt omnis homo eſt animal. Secunda, in qua de vniuerſali aliquid prædicatur particulariter, vt quidam homo eſt albus. Tertia, in qua aliquid de vniuerſali prædicatur abſque determinatione,

vniuer-

vniuerſali, vel particulari, vt homo eſt animal. Prima enuntiatio dicitur vniuerſalis; ſecunda particularis: tertia indefinita, quibus ſi addatur ſingularis, in qua aliquid de ſingulari prædicatur, vt Sortes currit, erunt quatuor modi enuntiationum, quæ poſſunt eſſe negatiuæ, ſicut ſunt affirmatiuæ. Et ſic patet &c.

CAPVT OCTAVVM.

De oppoſitione propoſitionum cathegoricarum exiſtentium in figura quantum ad enuntiationes, de ineſſe.

NVnc dicendum eſt qualiter prædictæ enuntiationes vniuerſales, particulares, & indefinitæ opponantur. Notandum quod aliquid alicui quatuor modis poteſt opponi. Vno modo relatiuè, vt pater & filius: alio modo contradictoriè, vt Sortes currit, Sortes non currit: tertio modo priuatiuè, vt viſus & cæcitas: quarto modo contrariè: vt albedo, & nigredo. De oppoſitis relatiuè, dictum eſt in prædicamento relationis. Contradictio vero eſt oppoſitio cuius ſecundum ſe non eſt medium. Inter eſſe enim & non eſſe non eſt medium.

Ad hoc autem quod ſit contradictio inter aliqua, requiruntur ſeptem. Primo, quod opponantur duæ propoſitiones, quarum vna ſit affirmatiua, & altera negatiua. Secundo, quod tales enuntiationes ſint eiuſdem ſubiecti. Tertio, quod ſint eiuſdem prædicamenti. Quarto, quod non fiat prædicatio ſecundum diuerſas partes ſubiecti, ſicut cum dicitur, Sortes eſt albus dentes, & Sortes non eſt albus manum. Quinto, quod non ſit diuerſus modus ex parte prædicati, ſicut cum dicitur. Sortes currit tardè, & Sortes non currit velociter. Sexto, quod non ſit diuerſitas ex parte menſuræ loci, & temporis. Septimo, quod non ſit diuerſitas ex habitudine ad aliquid extrinſecum, ſicut cum dicitur, decem homines ſunt multi in domo, & non ſunt multi in theatro. Priuatio uero eſt negatio in ſubiecto apto nato. Licet enim cæcitas neget uiſum, non tamen ſimpliciter, ſed in ſubiecto nato apto uidere. Benè enim dicitur animal cæcum, ſed non lapis cæcus.

Contrariè autem opponuntur, quæ in eodem genere poſita maximè à ſe diſtant, & uiciſſim eidem ſubiecto inſunt. Non enim albedini opponitur albedo, ſed nigredo, quæ à ſe maximè diſtant. Sciendum, quod oppoſitio non prædicatur de dictis oppoſitionibus ſicut genus de ſuis ſpeciebus, ſed ut analogum de ſuis analogatis. Vera namque

oppoſi-

Digitized by Google

oppoſitio eſt oppoſitio ſimpliciter, quæ dicitur contradictio. Aliæ uero dicuntur oppoſitiones ſecundum quid, & in tantum ſunt oppoſitiones inquantum aliquo modo dicunt contradictionem, ſcilicet eſſe, & non eſſe. Sciendum etiam eſt, quod in contradictione ita opponitur negatio affirmationi, quod nihil ponit. In priuatione autem ita opponitnr priuatio habitui, quod ſupponit ſubiectum.

In contrarietate uero ita eſt oppoſitio, quod ſupponitur ſubiectum, & aliqua forma, ita enim albedo opponitur nigredini, quod ſupponit aliquod ſubiectum, propter quod dicitur, uiciſſim inſunt, & albedo etiam ponit aliquam formam, quod non facit negatio, nec priuatio. Sciendum quod uniuerſalis affirmatiua opponitur uniuerſali negatiuæ eiuſdem ſubiecti & prædicati contrariè. Vnde omnis homo eſt albus, & nullus homo eſt albus, ſunt contrariæ. Ratio eſt, quia ut dictum eſt, contrariæ opponuntur, quæ maximè à ſe diſtant. Non enim nigrum dicitur aliquid ex hoc ſolo, quod non eſt album, ſed ſuper hoc; quòd eſt non eſſe album, quod ſignificat remotionem albi, addit nigrum extremam remotionem ab albo. Sic ergo id quod affirmatur per hanc enuntiationem, omnis homo currit, oportet quod remoueatur per hanc negationem, non omnis homo currit, oportet enim quod negatio remoueat modum quo prædicatum dicitur de ſubiecto, quem deſignat hoc ſignum, omnis, ſed ſuper hanc remotionem addit hæc enuntiatio, nullus homo currit, totalem remotionem quæ eſt in extrema diſtantia. Merito ergo dicuntur contrariæ, omnis homo currit, & nullus homo currit. Particularis autem affirmatiua, & particularis negatiua nullo modo opponuntur contrariè, ideſt contraria oppoſitione.

Contrariæ namque differunt extrema diſtantia, particularis autem affirmatiua, & particularis negatiua, ſe habent ſicut media inter contraria: media autem non ſunt contraria, nec etiam opponuntur contradictoriè. Vt enim dictum eſt, hoc signum, quidam, quod facit propoſitionem eſſe particularem, deſignat uniuerſale, ſeu terminum communem indeterminatè, unde non determinat illud ad hoc ſingulare, uel ad illud. Et propter hoc affirmatio, & negatio non erunt in eodem ſubiecto ſingulari, quod requiritur in contradictione, ut ſupra dictum eſt, ideo nullo modo ſibi opponitur.

Dicuntur tamen ſubcontrariæ, quia ſub contrarijs continentur. Vniuerſalis autem affirmatiua, & particularis negatiua: uniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, opponuntur contradictoriè. Cuius ratio eſt, quia contradictio conſiſtit in ſola remotione affirmationis per negationem, vniuerſalis autem affirmatiua remouetur per ſolam ne-

lam negationem particularem, nec aliquid aliud ex neceſſitate exigitur. Sicut per hanc, quidam homo non currit. Particularis autem affirmatiua, non poteſt remoueri per particularem negatiuam, quia ſibi non opponitur, vt dictum eſt; oportet ergo, quod remoueatur per vniuerſalem negatiuam.. Sic ergo iſtæ, ſcilicet omnis homo currit, quidam homo non currit, & nullus homo currit, quidam homo currit, ſunt contradictoriæ. Quælibet autem particularis dicitur ſubalterna ſuæ vniuerſalis. Et patet de oppoſitionibus propoſitionum, in quibus ſunt ſigna, & ſingularium.. Indefinitæ autem ſequuntur regulam particularium.

CAPVT NONVM.

De æquipollentijs enunciationum cathegoricarum de ineſſe.

Reſtat nunc dicere de æquipollentijs dictarum enuntiationum, vbi nota quod negatio præpoſita ante ſignum, & per conſequens ante totam enuntiationem, æquipollet ſuæ contradictoriæ. Poſita vero poſt ſignum in compoſitione, ſcilicet enuntiationis, facit eam æquipollere ſuæ contrariæ. Præpoſita vero, & poſtpoſita facit eam æquipollere ſuæ ſubalternæ. Cauſa autem iſtarum æquipollentiarum eſt. Nam in enuntiationibus prædictis eſt conſiderare quantitatem, videlicet vniuerſalitatem, particularitatem, & qualitatem, ſcilicet negationem, & affirmationem, hoc eſt à natura negationis, vt neget, & tollat totum quod inuenit poſt ſe. Sic ergo iſta enuntiatio, omnis homo currit, eſt vniuerſalis, & affirmatiua, cui ſe præponatur negatio, ſcilicet, non omnis homo currit, iſta negatio tollit vniuerſalitatem, & ſic remanet particularis, vel indefinita; ſcilicet ſine ſigno, quæ æquipollet particulari, & tollit affirmationem, & per conſequens remanet negatiua. Aequipollet ergo huic, ſcilicet quidam homo non currit, quæ erat ſua contradictoria. Similiter ſit hæc enuntiatio nullus homo currit, certum eſt, quod hoc eſt, cui si vniuerſali, & negatiuæ præponatur ſibi negatio, & dicatur, non nullus homo currit, negatio tollit vniuerſalitatem. ergo erit particularis: tollit etiam negationem, & sic erit affirmatiua, hæc ſcilicet, quidam homo currit, quæ erat ſua contradictoria.

Et idem erit de particularibus. Nam hæc, non quidam homo currit, æquipollet huic, nullus homo currit, & propter hanc cauſam hæc, non quidam homo non currit, æquipollet huic, ſcilicet quilibet homo currit. Similiter etiam si ſumatur hæc enuntiatio, omnis homo currit, & poſt-

& poſponatur negatio ſigno vniuerſali, & ponatur ad compoſitionem ſic, omnis homo non currit, quia negatio non inuenit poſt ſe ſignum, non negat illud, & per conſequens remanet vniuerſalis enuntiatio, auſert autem negatio affirmationem, & ſic facta eſt enuntiatio negatiua & vniuerſalis, æquipollet ergo ſuæ contrariæ, ſcilicet huic, nullus homo currit, eſt vniuerſalis & negatiua: nam ſignum negatiuum negat compoſitionem enunciationis.

Poſtponatur ergo ei negatio, & dicatur, nullus homo non currit, quia negatio non habet ſignum poſt ſe, remanet enuntiatio vniuerſalis, & quia erat negatiua quantum ad compoſitionem, aufert negationem, & remanet affirmatiua hæc, ſcilicet, omnis homo currit, quæ erat ſua contraria. Similiter etiam ſumatur iſta, omnis homo currit, quæ eſt vniuerſalis, & affirmatiua & præponatur ſibi, & poſtponatur negatio ſic, non omnis homo non currit, certum eſt, quod ſecunda negatio negat eius compoſitionem. Vnde dato quod illa eſſet negatiua, hæc ſcilicet, omnis homo non currit, præpoſita ergo negatio inuenit poſt ſe vniuerſalitatem quam tollit, & facit eam affirmatiuam, & erit hæc, ſcilicet, quidam homo currit, quæ erat ſua ſubalterna. Et ſic eſt de omnibus alijs ſi præponatur, & poſtponatur in eis negatio: quia æquipollent ſuo ſubalterno ſiue ſit vniuerſalis, ſiue particularis.

Notandum, quod aliquando contingit quod in eadem enuntiatione ſunt duo ſigna vniuerſalia negatiua, vnum videlicet in ſubiecto, & alterum in prædicato, ſicut in hac, nullus homo nullum animal eſt, dico, quod iſta æquipollet huic, omnis homo aliquod animal eſt. Ratio eſt, quia quodlibet dictorum ſignorum & eſt vniuerſale, & habet in ſe negationem; & quia non præponitur negatio primo ſigno, remanet enuntiatio vniuerſalis: ergo negatio incluſa in primo ſigno, quod eſt ſignum vniuerſale, & negatiuum præponitur negationi, ſeu ſecundo ſigno, quod eſt ſignum vniuerſale, & ſignum negatiuum: & quia inuenit vniuerſalitatem, deſtruit ergo vniuerſalitatem, & remanet particulare, deſtruit negationem, & ſic remanet enuntiatio affirmatiua, hæc ſcilicet, omnis homo aliquod animal eſt. Vel dicatur, ſicut communiter dicitur, quod nullus non, æquipollet ei, quod eſt omnis, & dico non ſcilicet negationem quæ continetur in ſecundo ſigno, non nullus vero æquipollet ei quod eſt quoddam, & nullus non ſumo pro negatione: quæ eſt in primo ſigno, & ſic remanet, omnis homo aliquod animal eſt.

De omnibus his æquipollentijs, datur verſus. Præ contradic, poſt contra. præ poſtque ſubalter. Qui ſic intelligitur præ, ideſt negatio

G præpo-

præpoſita contradic, ideſt facit æquipollere ſuo contradictorio, poſt, ideſt negatio poſtpoſita facit æquipollere ſuo contra. ideſt, contrario. Præ poſtque, ideſt negatio quæ præponitur, & poſtponitur facit æquipollere ſuo ſubalterno. Et ſic patet de æquipollentijs cathegoricarum.

CAPUT DECIMUM.

Quomodo enuntiationes cathegoricæ de ineſſe ſitæ in figura ſe habent ad veritatem & falſitatem.

MOdo dicendum eſt quomodo ſe habent prædictæ enuntiationes quantum ad verum & falſum. Vbi nota, quod ſicut ſupradictum eſt, de vniuerſali ſecundum quod eſt in ipſis ſingularibus dupliciter poteſt aliquid enuntiari, ſcilicet affirmatiuè, & remoueri negatiuè. Vno modo quando attribuitur ſibi aliquid ratione ipſius vniuerſalis, vel quod pertineat ad eius eſſentiam, vel quod ſequatur principia eius eſſentialia, vt cum dicitur, homo eſt animal riſibile, & hæc vocatur materia naturalis, ſeu neceſſaria. Quod autem iſto modo ab vniuerſali remouetur ratione ipſius naturæ ſcilicet vniuerſalis, dicitur materia remota, ſeu impoſſibilis, vt homo eſt aſinus.

Secundo modo, quando attribuitur sibi aliquid ratione alicuius singularis, in quo hæc natura vniuerſalis inuenitur, vt cum dicitur, homo currit, & hæc dicitur materia contingens. Sciendum quod in materia naturali, & in materia remota, si vna contrariarum eſt vera, reliqua eſt falſa, & è conuerſo. Et cauſa hæc eſt, quia si illa dicitur materia naturalis, quæ prouenit ſecundum naturam vniuerſalis, ipſa ergo conuenit omni contento ſub eo, sic quod vniuerſalis affirmatiua erit vera, vniuerſalis autem negatiua, quæ remouet hanc materiam ab omni contento ſub eo, neceſſario erit falſa: dicit enim non eſſe quod eſt, quod eſt falſum, ſcilicet dicere non eſſe quod eſt, vel eſſe quod non eſt. Similiter etiam in materia remota, vniuerſalis negatiua eſt vera, quia remouet tale prædicatum ab omni contento ſub tali vniuerſali. Vniuerſalis ergo affirmatiua, tunc etiam dicetur falſa, quia dicit eſſe quod non eſt: & simili modo ſe habebit de ſuis particularibus sibi ſubalternis. Materia enim naturalis, quia omnibus contentis ſub vniuerſali conuenit, ideo in tali materia particularis affirmatiua erit vera, negatiua vero falſa: contra ſe habebit in materia remota. In materia vero contingenti, ambæ contrariæ poſſunt eſſe falſæ, & cauſa poteſt haberi ex dictis. Si enim in tali materia non attribuitur vniuerſali aliquid nisi ratione particularis alicuius contenti ſub eo, af-

firmatiue

firmare illud de omnibus particularibus falſum eſt, quia dicitur, quod non eſt eſſe · similiter etiam illud negare ab omnibus particularibus, ſeu ſingularibus falſum eſt, quia dicitur,quod eſt non eſſe. Ambæ ergo ſunt falſæ. Particulares vero, quia quælibet poteſt ſaluari in vna ſingulari,ambæ ſunt veræ. Aliam rationem aſſignat Ari. Nam vt dicit, contraria mutuo ſe expellunt, ambæ iſtæ contrariæ non poterunt ſimul eſſe quod eſt verum, remotiones tamen earum nihil prohibet ſimul eſſe,ſicut album & nigrum non poſſunt eſſe ſimul, remotiones tamen amborum nihil prohibet eſſe ſimul, falſum enim eſt remotio amborum. In omni materia ſiue naturali ſiue remota, ſeu contingenti, ſi vna contradictoriarum eſt vera, reliqua eſt falſa, & è conuerſo.

Contradictoriæ enim enuntiationes,vel ſunt ſingulares, vt dictum eſt, vel vna eſt vniuerſalis & altera particularis, & hoc habent, quia vna remouet aliam. Vnde ſi vna eſt negatiua, altera eſt affirmatiua, & ſi affirmatiua erit vera,dicit eſſe quod eſt, & hoc eſt verum, vt dicitur 4. Metaphyſ. verum enim eſt eſſe quod eſt, & non eſſe quod non eſt. Negatiua vero ſibi contradictoria, quia dicit non eſſe, quod eſt, erit falſa. Similiter ſi negatiua eſt vera dicit non eſſe quod non eſt, & affirmatiua tunc dicit eſſe quod non eſt,quod eſt falſum. Et ſic inter eſſe, & non eſſe non eſt medium, & vnum remouet alterum, quia impoſſibilia eſt dici de eodem, & verificari ſimul eſſe, & non eſſe, ſic etiam contradictoriæ, quia vna ponit de eodem eſſe, & altera de eodem non eſſe, ideo vna ſemper remouet alteram. Et quia in tali eſſe, vel non eſſe conſiſtit verum, vel falſum, vt dictum eſt, ergo ſine medio ſi vna eſt vera, reliqua eſt falſa,& è conuerſo. Et ſic patet de veritate, & falſitate dictarum propoſitionum de ineſſe,&c.

CAPVT VNDECIMVM.

Quid ſit propoſitio modalis, & de eius quantitate.

NVnc reſtat ponere, vel dicere de propoſitionibus modalibus. Modus autem, vt hic ſumitur, eſt adiacens rei determinatio, Ideſt,determinatio facta per adiectiuum. Eſt autem adiectiuum duplex,ſcilicet nominis,vt album & nigrum,& verbi,cuiuſmodi ſunt aduerbia: quia enim aduerbium ſtat iuxta verbum, & ſemper nititur verbo, ideo dicitur eſſe adiectiuum verbi. Et ſic modus erit duplex, ſcilicet nominalis,vt cum dicitur curſus velox: & aduerbialis, vt cum dicitur currit velociter.

Notandum, quod aduerbia multipliciter poſſunt determinare verba. Quædam determinant ipſum ratione actionis, uel paſſionis quam uerbum ſignificat, ut curro uelociter, uel ago fortiter, & hoc faciunt aduerbia qualitatiua. Quædam vero ratione temporis, vt aduerbia temporalia. Alia vero ratione modi, vt aduerbia vocandi, & optandi. Quædam vero determinat verbum, ratione compoſitionis quam facit in oratione, & iſta ſunt ſex, ſcilicet neceſſario impoſſibiliter, poſſibiliter contingenter, vero & falſo. Cum enim dicitur, Sortes currit velociter, ſignatur quod curſus eius ſit velox: ſed cum dicitur neceſſario Sortes currit, non ſignificatur, quòd curſus eius ſit neceſſarius, ſed quòd iſta compoſitio, ſcilicet, Sortes currit, ſit neceſſaria, & ſic de alijs quinque aduerbijs iam dictis.

Sciendum quòd prædicta ſex aduerbia faciunt veras enuntiationes modales: quia poſſunt facere propoſitiones modales aduerbialiter ſumpta, vt cum dicitur Sortes currit neceſſario: & nominaliter, vt cum dicitur, Sortem currere eſt neceſſe, & ſic de alijs. Verum eſt autem, quòd duo iſtorum modorum, ſcilicet vero, & falſo, non variant enuntiationem quantum ad oppoſitiones, æquipollentias, & huiuſmodi, ſed eodem modo ſe habent, ſeu eodem modo ſumuntur in eis, ſicut in cathegoricis de ineſſe, ideo de eis prætermittamus. Sed quia alia quatuor aduerbia, ſcilicet poſſibiliter, impoſſibiliter neceſſario contingenter. prædictas enuntiationes variant, ideo de ipſis dicamus.

De his autem ad præſens videbimus quatuor, ſcilicet, quantitatem, qualitatem oppoſitiones, & æquipollentias, quia de conuerſione ipſarum dicetur in tractatu de ſyllogiſmis; vbi etiam dicetur de conuerſione enuntiationum de ineſſe. Ad ſciendum autem earum quantitatem, notandum quod quædam ſunt propoſitiones modales de dicto, vt Sortem currere eſt neceſſe, in quibus, ſcilicet dictum ſubijcitur, & modus prædicatur; & iſtæ ſunt vere modales, quia modus hic determinat verbum ratione compoſitionis, vt ſupra dictum eſt. Quædam autem ſunt modales de re, in quibus videlicet modus interponitur dicto, ut Sortem neceſſe eſt currere, non enim modo eſt ſenſus, quod hoc dictum ſit neceſſarium, ſcilicet Sortem currere, ſed huius ſenſus eſt, quod in Sorte ſit neceſſitas ad currendum. Et clarius apparet de poſſibili. Cum enim dicitur Sortem currere eſt poſſibile, ſenſus eſt, quod hoc dictum, ſcilicet Sortem currere, eſt poſſibile. Sed cum dicitur Sortem poſſibile eſt currere, ſenſus eſt quod in Sorte ſit poſſibilitas currendi.

Sunt autem & aliæ enuntiationes, quæ uidentur modales, & non ſunt, quando uidelicet modus ſubijcitur, & dictum prædicatur, ut

poſſibile eſt Sortem currere. Ratio huius eſt, quia denominatio debet ſumi à forma, formale autem in enuntiatione eſt prædicatum, & ideo à prædicato debet denominari. Cum ergo in enuntiatione prædicatur modus, erit modalis: cum uero prædicatur dictum, non erit modalis. Sciendum quod omnes enuntiationes modales de dicto ſunt ſingulares, quantumcunque ſit in eis ſignum uniuerſale. Vnde hæc, omnem hominem currere eſt poſſibile, eſt ſingularis, & ſic de omnibus alijs. Ratio huius eſt. Nam ut ſupradictum eſt, enuntiatio dicitur ſingularis, quia in ea ſubijcitur ſingulare, ſeu terminus ſingularis, ut Sortes currit. Sed in talibus enuntiationibus ſubijcitur hoc dictum ſignatum, ſcilicet omnem hominem currere, quod totum accipitur pro uno termino ſignato. omnes ergo tales enuntiationes ſunt ſingulares. In modalibus uero de re, & in his quæ uidentur modales, & non ſunt, ſumitur quantitas ſecundum quod in dicto ſunt termini, et ſigna. Vnde hæc, poſsibile eſt omnem hominem currere, eſt uniuerſalis: et hæc, poſſibile eſt aliquem hominem currere, eſt particularis, et ſic ſe habet de modalibus de re. Patet ergo de earum quantitate.

CAPVT DVODECIMVM.

De qualitate propoſitionum modalium quo ad affirmationem, & negationem.

SEquitur de ipſarum qualitate. Vbi nota, quod in enuntiationibus de ineſſe, eſt tria conſiderare, ſcilicet ſubiectum prædicatum, et compoſitionem utriuſque, quæ ita ſe habent quodammodo, ſicut in naturalibus. In homine enim eſt conſiderare corpus, et animam, et humanitatem. Corpus eſt materia: anima eſt forma, quæ eſt pars compoſiti, unde forma eſt reſpectu corporis, humanitas uero eſt forma reſpectu utriuſque, ſcilicet reſpectu corporis, et animæ. Sic in propoſito, in enuntiatione ſubiectum eſt ſicut materia: prædicatum vero ſicut forma, quæ eſt pars compoſiti. Vnde eſt quaſi forma reſpectu ſubiecti, compoſitio vero eſt forma vtriuſque. Vnde in eis affirmatio, & negatio ſumitur ſecundum compoſitionem, vel diuiſionem: vbi eſt negatio. Vnde quando in compoſitione non eſt negatio, erit enuntiatio affirmatiua: ſi vero in ea eſt negatio, eſt enuntiatio negatiua. In modalibus autem ſicut ſe habet in illis de ineſſe prædicatum, ſic ſe habet modus, quia eſt, vt forma reſpectu dicti: & ideo ſi modus componitur cum dicto affirmatiuè, modalis erit affirmatiua: ſi vero negatiuè, propoſitio erit negatiua. Hæc enim, Sortem non currere eſt poſſibile:

ſibile; eſt affirmatiua, quia compoſitio modicum dicto affirmatur. Hæc autem, Sortem currere non eſt poſſibile, eſt negatiua, quia talis compoſitio negatur. Et hoc clarè apparet in veritate, & falſitate earum. Affirmatio enim de eodem ſingulari opponitur contradictoriè negationi, & per conſequens ſi vna eſt vera, reliqua eſt falſa: ſed iſta: Sortem currere eſt poſſibile. Sortem non currere eſt poſſibile, ambæ ſunt veræ, quia Sortes poteſt currere, & poteſt non currere, & de vtroque dicto uerificatur poſſibilitas: non ergo eſt una affirmatiua, & alia negatiua. Sciendum, quod licet enuntiatio modalis dicatur affirmatiua & negatiua à modo affirmato, & negato, tamen quælibet poteſt quadrupliciter uariari: quia, uel habebit utrumque, ſcilicet dictum, & modum affirmatum, ut Sortem currere eſt poſſibile. Vel utrumque negatum, ut Sortem non currere non eſt poſſibile, uel dictum negatum, & modum affirmatum, ut Sortem non currere eſt poſſibile. Vel dictum affirmatum, & modum negatum, ut Sortem currere non eſt poſſibile. Et ſic patet de eius qualitate.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De oppoſitione, & æquipollentia enuntiationum modalium.

NVnc uidendum eſt de earum oppoſitione. Vbi nota, quod modales huiuſmodi uariantur ſecundum affirmationem, & negationem in dicto, & in modo ſicut immediatè dictum eſt, & ſic faciunt inter ſe oppoſitiones. Sed quia diuerſi modi ſibi inuicem opponuntur, ideo primo dicendum eſt de oppoſitionibus modalium ſecundum diuerſos modos: poſtea reducemus unum modum ad alium per æquipollentias, & ſic patebunt omnium oppoſitiones.

Notandum, quod poſſibile dupliciter poteſt ſumi, uel in toto ſuo ſignificato, & tunc comprehendit neceſſarium, & contingens & ſic, quod neceſſe eſt eſſe, poſsibile eſt eſſe, et quod contingens eſt eſſe, poſsibile eſt eſſe. Alio modo ſumitur ſolum pro contingenti, & ſic ſumitur in iſtis oppoſitionibus. Vnde licet quatuor ſint enuntiationes modales, tres tamen earum faciunt diuerſitatem in oppoſitionibus, & æquipollentijs, quia illa de contingenti, & illa de poſſibili pro eadem ſumuntur.

De iſtis ergo tribus modis dicamus, ſcilicet neceſſe, impoſſibile, poſſibile. Et licet ut dictum eſt, quando modus ſubſtantialiter, & dictum prædicatur, enuntiatio non ſit modalis, tamen citò reducitur ad modalem, & ſic modo enuntiationibus illis utemur. Sciendum, quod

sicut

ſicut dictum eſt in enuntiationibus de ineſſe, hoc ſignum omnis deſignat, quod prædicatum enuntiationis attribuitur ſubiecto quantum ad totum illud, quod ſub eo continetur: hoc uero ſignum nullus remouet à ſubiecto totum quod ſub eo continetur, et propter hoc uniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua, ſunt contrariæ. Sic in iſtis enuntiationibus modalibus iſte modus neceſſe, facit ſignificare totam inhærentiam ſubiecti ad prædicatum, quia quod neceſſario ineſt omni tali ineſt, & ideo tenet eundem locum, ſcilicet modalis affirmatiua de neceſſario, & vniuerſalis affirmatiua de ineſſe. Et ſicut nullus totum remouet, ita etiam impoſſibile, quia quod impoſsibiliter ineſt, nulli tali ineſt, & ideo propoſitio de impoſsibili tenet locum vniuerſalis negatiuæ. Et ſicut quidam affirmando non totam inhærentiam ponit, ſimiliter etiam negando non totum, quod ſub ſubiecto continetur, remouet, ſic iſte modus poſsibile, quia quod poſsibiliter ineſt, non ineſt omni, & quod poſsibiliter non ineſt, non ineſt nulli, & ideo poſsibile affirmando tenet locum particularis affirmatiuæ, & poſsibile negando tenet locum particularis negatiuæ. Secundum ergo prædicta, iſtæ enuntiationes, Neceſſe eſt eſſe, & impoſsibile eſt eſſe, ſunt contrariæ. Neceſſe eſt eſſe, & poſsibile eſt non eſſe, ſunt contradictoriæ. Impoſsibile eſt eſſe, & poſsibile eſt eſſe, ſunt contradictoriæ. Poſsibile eſt eſſe, & poſsibile eſt non eſſe, ſunt ſubcontrariæ. Neceſſe eſt eſſe, & poſsibile eſt eſſe, ſunt ſubalternæ. Impoſsibile eſt eſſe, & poſsibile eſt non eſſe, ſunt ſubalternæ.

His viſis ſtatim patebit de æquipollentijs earum, & de oppoſitionibus ipſarum: quando variantur per negationes poſitas in dicto, vel in modo. Aequipollentiæ namque modalium, eodem modo fiunt ſicut in enuntiationibus de ineſſe, ſecundum videlicet verſum illum. Præ contradic. poſt contra. præ poſtque ſubalter. Negatio enim præpoſita modo, facit æquipollere ſuo contradictorio, vnde hæc non neceſſe eſt eſſe, æquipollet huic, poſsibile eſt non eſſe. Et hæc, non impoſsibile eſt eſſe, æquipollet huic, poſsibile eſt eſſe. Negatio vero poſtpoſita, ſcilicet modo, facit æquipollere ſuo contrario, vnde hæc, neceſſe eſt non eſſe æquipollet huic, impoſsibile eſt eſſe. Et hæc, impoſsibile eſt non eſſe, æquipollet huic, neceſse eſt eſſe. Præpoſtque ſubalter, ideſt, negatio præpoſita, & poſtpoſita modo facit æquipollere ſuo ſubalterno: vnde hæc, non neceſſe eſt non eſſe: æquipollet huic, poſsibile eſt eſſe: & ſimiliter hæc, non impoſsibile eſt non eſſe, æquipollet huic, poſsibile eſt non eſſe. Ex dictis poteſt patere qualiter oppoſitiones propoſitionum eiuſdem modi variantur per negationes. Verbi gratia de enuntiationibus de neceſſario, iſta, neceſſe eſt eſſe, & hæc: non ne-

non neceſſe eſt eſſe, ſunt contradictoriæ: & iſtæ, ſcilicet non neceſſe eſt non eſſe, & neceſse eſt eſse, ſunt ſubalternæ, & ſic ſe habet de ſingulis alijs enuntiationibus modalium, per hunc verſum. Amabimus edentuli: illiace, purpurea, vt ſatis patet.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De enuntiatione hypothetica, & de tribus ſpeciebus eius.

REſtat nunc dicere de enuntiationibus hypotheticis, ſeu ſuppoſitiuis, quod idem eſt. Diffinitur autem enuntiatio hypothetica ſic. Enuntiatio hypothetica eſt quæ habet duas cathegoricas principales partes ſui, vt Si homo currit, homo mouetur: patet quod hæc homo currit, eſt vna enuntiatio cathegorica, & illa, homo mouetur, eſt altera. Et dico principales partes, quia termini ſunt principales partes propoſitionis cathegoricæ, non tamen ſunt principales partes propoſitionis hypotheticæ, ſed remotæ, ſicut lapides ſunt partes domus remotæ, & in hoc differt enuntiatio hypothetica ab enuntiatione cathegorica. Nam principales partes cathegoricæ ſunt termini: principales autem partes hypotheticæ ſunt duæ cathegoricæ.

Alia etiam differentia eſt inter propoſitiones cathegoricas & hypotheticas. Nam in cathegorica ſubiectum ſuſcipit nomen prædicati. Cum enim dicitur homo eſt animal, homo recipit nomen animalis, cum homo dicatur eſse animal. Non autem ſic in hypotheticis: quia vnum de altero non prædicatur: ſed tantum aliquid dicitur eſse, ſi alterum fuerit. Verbi gratia. Cum dicitur ſi peperit, cum viro concubuit: non eſt ſenſus, quod parere ſit cum viro concubere: ſed eſt ſenſus, quod partus eſse non potuiſset, niſi cum viro concubuiſset. Similiter etiam cum dicimus, ſi homo eſt, animal eſt: non eſt ſenſus, quod homo ſit animal, ſed eſt ſenſus: quod ſi aliqua res eſt homo, neceſse eſt, quod aliqua res ſit animal.

Diuiditur autem propoſitio hypothetica in tres ſpecies: quia quædam eſt conditionalis: quædam diſiunctiua, & quædam copulatiua. Conditionalis eſt illa in qua coniunguntur duæ propoſitiones cathegoricæ per hanc coniunctionem ſi, vt ſi homo eſt, animal eſt, hæc autem conditionalis poteſt fieri tàm ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati. Ex parte ſubiecti, vt ſi dicatur, ſi homo non currit, ex parte vero prædicati, vt ſi dicatur: ſi homo currit, homo mouetur. Prima autem propoſitio, ſiue enuntiatio cathegorica quæ eſt in his

enuntia-

enuntiationibus hypoteticis dicitur antecedens. Secunda vero dicitur conſequens, & propter hoc dicitur conſequentia.

Ad conditionalem autem reducuntur rationales, vt Sortes eſt homo, ergo Sortes eſt animal. Et omnis cauſalis: vt quia Sortes eſt homo, Sortes eſt animal, & temporalis, vt quando Sortes eſt homo: Sortes eſt animal, & omnes huiuſmodi. Notandum, quod Hamonius ponit duplicem hypotheſim, vna eſt quando ſupponitur aliquod impoſſibile, ad quod tamen neceſſario ſequitur aliud impoſſibile. Verbi gratia. Suppoſito quod quatuor ſint tria: quaternarius numerus erit impar. Conſtat enim quod hypoteſis ſupponit impoſſibile, & impoſſibile ſubinfert: tamen ſtante hypoteſi neceſſario infertur. Ex quo poteſt intelligi, quod ſi conditionalis poteſt eſſe vera, & tamen ambæ eius partes ſunt falſæ. Vnde iſta eſt vera, ſi homo eſt aſinus: homo eſt rudibilis, tamen vtraque cathegoricarum eſt falſa.

Secunda vero hypoteſis eſt quod quandoque aliquid dicitur eſſe, vel non eſſe ſi quid fuerit, vel non fuerit, vt ſi homo eſt, animal eſt, vel ſi homo eſt, lapis non eſt. Ex dictis poteſt patere, quod veritas enuntiationis hypothecæ eſt in conſequentia terminorum qui ſunt in conſequente: ad terminos qui ſunt in antecedente, quia enim animal neceſſario ſequitur ad hominem: certum eſt quod quicquid fuerit homo, erit animal: & ſi ad currere ſequitur moueri, ſequitur, ergo quod quicquid currit mouetur. Si ergo eſt homo, eſt animal, & ſi currit mouetur: Cuicumque ergo verè, vel falsè attribuetur currere, attribuetur & moueri. Vnde iſta eſt vera: ſi immobile currit immobile mouetur. Et propter hoc dicitur quod ad veritatem eius requiritur quod antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente, quia tanta eſt neceſſitas conſequentis ad antecedens: quod ſicut ſe habet antecedens ita ſe habet conſequens. Si vero aliter ſe haberet, ſcilicet quod antecedens eſſet verum, & conſequens falſum: falſa eſſet conſequentia, quia terminus in conſequente poſitus non neceſſariam haberet connexionem cum termino poſito in antecedente, vt hic: ſi homo eſt albus: homo eſt muſicus, certum eſt quod hæc falſa eſt, non enim neceſſario ad album ſequitur muſicum. Et inde eſt quod omnis conditionalis vera eſt neceſſaria, & omnis falſa eſt impoſſibilis, quia vt dictum eſt, terminus conſequentis neceſſario ſequitur terminum antecedentis.

Qualiter autem conditionalis varietur per affirmationem, & negationem, dicetur cum de ſyllogiſmis hypotheticis agetur. Diſiunctiua vero eſt illa in qua coniunguntur duæ enunciationes cathegoricæ per coniunctiones ſpeciei diſiunctiuè, vt hic, animal aut eſt ſanum, aut eſt ægrum. Veritas autem prædictæ enunciationis eſt, quod ſi

H vnum

vnum ponitur alterum remouetur; & ſi vnum remoueatur alterum ſumatur. Vnde videtur quod tantum valeat iſta, aut eſt ſanum: aut eſt ægrum: quantum iſta conditionalis. Si non eſt ſanum eſt ægrum. Et licet in prædicta materia, verum ſit, tamen non ſemper in omni materia iſtæ duæ ſibi æquipollent in veritate. Nam conditionalis ex vna parte negata, & ex altera affirmata ſaluatur in contradictorijs, contrarijs, & diſparatis, & erit ſemper vera. Vera enim eſt iſta, ſi eſt album non eſt nigrum; iſta tamen eſt falſa, aut eſt album aut eſt nigrum, poſſet enim aliquid eſſe quod nec album eſſet: nec nigrum, & ſic etiam eſt diſparatis. Differt enim diſiunctiua à tali conditionali. Vnde ad veritatem diſiunctiuæ requiritur quod de tali materia ſit, in qua vnum omnino ponatur, & alterum remoueatur: vel è conuerſo, & propter hoc ad eius veritatem requiritur quod altera eius pars ſit vera. Et ſi vtraque pars eius erit vera, vel falſa, ipſa enunciatio diſiunctiua erit falſa.

Copulatiua vero enunciatio eſt illa in qua coniunguntur duæ enunciationes cathegoricæ per coniunctionem copulatiuam; vt Sortes currit, & mouetur, in iſta enunciatione nulla ponitur conditio, ſed ſolum coniunctio enunciationis. Et quia copulatiua coniunctio ſemper debet ſimilia copulare; ſi antecedens erit verum etiam conſequens neceſſe eſt quod ſit verum, & è conuerſo. Et ſic patet qualiter dictæ enunciationes hypotheticæ ſe habent ad veritatem. Nam conditionalis poteſt eſſe vera: vtraque eius parte exiſtente falſa.

Diſiunctiua eſt vera vna eius parte exiſtente falſa. Copulatiua vero ad hoc quod ſit vera; vtraque eius pars neceſſario debet eſſe vera, & ſic patet de enunciationibus hypotheticis. Siquidem autem hoc de ipſis omiſſum eſt, dicetur cum de ſyllogiſmis hypotheticis agetur, &c.

DE SYL-

DE SYLLOGISMO ſimpliciter.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit ſyllogiſmus, & quæ ad ipſum requiruntur conſtituendum.

MODO dicendum eſt de tertia parte, videlicet, de his quæ pertinent ad tertiam operationem intellectus. Licet enim, vt dictum eſt à Philoſopho ponantur duæ operationes intellectus, ſcilicet, ſimplicium intelligentia, & compoſitio, vel diuiſio, tamen additur tertia operatio, quæ eſt diſcurſus ab vno compoſitio, vel diuiſio ad aliud: hoc autem fit per argumentationem.

Eſt autem argumentatio oratio ſignificatiua diſcurſus rationis ab vno cognito ad aliud incognitum, vel à magis cognito ad minus cognitum. Sunt autem argumentationis quatuor ſpecies, ſcilicet ſyllogiſmus, enthymema, inductio, & exemplum. Siue hæc diuiſio ſit generis in ſuas ſpecies, vel analogi in ſua analogata, nihil ad propoſitum. Et quia ſyllogiſmus perfectior eſt omnibus alijs, ad quem aliæ ſpecies argumentationis reducuntur, ſicut imperfectum ad perfectum, ideo de ipſis dicendum eſt.

Diffinitur autem ſyllogiſmus ſic. Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, & conceſſis, neceſſe eſt aliud euenire per ea, quæ poſita ſunt, & conceſſa. Oratio hic eſt genus ſyllogiſmi; vt enim in tractatu de enunciatione dictum eſt, nihil prohibet orationem eſſe plures, & vnam, cuiuſmodi eſt in ſyllogiſmo. In hoc autem quod dicit quibuſdam poſitis tangit propoſitiones ipſius ſyllogiſmi. Per hoc quod dicit, neceſſe eſt euenire, tangit concluſionem. Vnde oportet ſcire quid eſt propoſitio. Eſt autem propoſitio, vt hic ſumitur enuntiatio, qua poſita ad eam aliquid ſequitur. Non enim omnis enuntiatio eſt propoſitio, ſed ſolum illa quæ ponitur in aliqua ſpecie argumentationis ad quam ſequitur concluſio. Verbi gratia. Cum dicitur omnis homo eſt animal: omne riſibile eſt homo: ergo omne riſibile eſt animal. Iſta, omnis homo eſt animal, eſt propoſitio, & ſimiliter illa, omne riſibile eſt homo: proponuntur enim vt ad eas ſequatur illa, omne riſibile eſt animal. Hæc autem omne riſibile eſt animal, licet ſit enuntiatio, conſtat enim ex terminis, non tamen eſt propoſitio. Eſt autem terminus in quem reſoluitur propoſitio, tanquam in ſubiectum,

& prædicatum. Cum enim dico, homo eſt animal, homo eſt terminus, qui dicitur ſubiectum; animal eſt terminus, qui dicitur prædicatum.

Sciendum quod licet propoſitio ex terminis componatur, & in eis reſoluatur, non tamen in diffinitione termini ponitur compoſitio propoſitionis, ſed reſolutio. Huius cauſa eſt. Nam logica, vt Boetius in ſua logica dicit, duas habet partes, ſcilicet inuentiuam, & iudicatiuam. Eſt autem inuentio excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ alteram partem contradictionis probabilem reddunt. Probabile autem eſt quod videtur omnibus aut pluribus aut ſapientibus, & his, ſcilicet ſapientibus, aut omnibus, aut pluribus maximè notis.

Huic autem parti logicæ deſeruiunt duo libri: ſcilicet Topicorum, & Elenchorum. Iudicium autem, vt hic ſumitur, eſt recta determinatio rationis in his quorum eſt iudicium. Rectè autem determinat ratio, quando principiata reſoluit in principia. Et ideo ſcientia quæ eſt recta determinatio ſcibilium, eſt per cauſas, ſcilicet cum ratio reſoluit cauſata in cauſas: & propterea hæc pars logicæ, ſcilicet iudicatiua dicitur analytica, ſeu reſolutoria, quia reſoluit principiata in principia.

Huic autem parti logicæ deſeruiunt duo libri, ſcilicet priorum, & poſteriorum. Et quia de materia libri priorum hic intendimus, ideo hic diffinitur terminus per reſolutionem propoſitionis. Eſt autem ſubiectum, de quo aliquid dicitur. Prædicatum vero quod de altero dicitur, ſeu ſit dicere mentis, vel rationis; ſeu ſit oris vel vocis. Dicitur autem terminus eo quod ſic per ipſum terminatur propoſitio, quod non vltra progreditur.

In hoc autem tractatu dicemus de ſyllogiſmo ſimpliciter. Eſt autem ſyllogiſmus ſimpliciter, in quo non conſideratur materia in qua talis vel talis ſyllogiſmus ſit, ideſt non conſideratur vtrum talis materia ſit probabilis, vel neceſſaria, ſed ſolum conſideratur ſyllogiſmus ad ſuam ordinationem, in omni autem materia exiſtentibus veris, vel probabilibus præmiſſis ſemper ſequitur concluſio vera, vel probabilis.

Quod autem talis ordinatio ſit bona, probatur per duo principia per ſe nota. Dico autem principia hic primas propoſitiones per ſe notas. Hæc autem principia ſunt dici de omni, & dici de nullo. Eſt autem dici de omni, quando nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum. Dici vero de nullo eſt, quando nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, à quo non remoueatur prædicatum. De his autem inferius melius dicetur. Sciendum quod quia ſyllogiſmi variantur per diuerſas figuras, vt infra dicemus, ideo aliqui ſyllogiſmi non

poſſunt

poſſunt immediatè probari per dicta duo principia, & propterea tales ſyllogiſmi indigent vno alio principio, per quod poſſunt reduci ad dici de omni, & ad dici de nullo. Hoc autem principium eſt: Quando ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis primæ concluſionis, tunc prima conſequentia fuit bona. Vnde omnes illi ſyllogiſmi, in quibus non poteſt rectè ſaluari dici de omni, vel dici de nullo, cum dicto tertio principio reducuntur ad formam, in qua ſaluatur dici de omni, vel dici de nullo; & hæc reductio vocatur ab aliquibus per impoſſibile, à Philoſopho vero per ſyllogiſmum cóuerſiuum. Similiter etiam reducuntur prædicti tales ſyllogiſmi ad prædicta duo principia per conuerſionem propoſitionum. Sed quia conuerſiones non probantur eſſe bonæ, niſi per tertium principium, ideo dicendum eſt, qui ſyllogiſmi reducuntur ad illa duo principia ſolum in virtute tertij principij. Qualiter autem fiant conuerſiones, & per dictum tertium principium probentur, dicamus: & primo in propoſitionibus deineſſe, deinde in propoſitionibus modalibus.

CAPVT SECVNDVM.

De conuerſione propoſitionum deineſſe, & de ſpeciebus eius.

CONuerſio autem propoſitionum, vt hic ſumitur, eſt facere de ſubiecto prædicatum, & de prædicato ſubiectum, ita quod exiſtente conuerſa vera etiam ea, in quam conuertitur, ſit vera. Verbi gratia, iſta propoſitio, omnis homo eſt animal ſi conuertitur in iſtam, omne animal eſt homo, bene fit de prædicato ſubiectum, & de ſubiecto prædicatum, tamen prima propoſitio eſt vera, ſecunda vero falſa, ideo talis conuerſio non eſt bona. Eſt autem in propoſitionibus terminorum finitorum, de quibus hic intendimus, duplex conuerſio, ſcilicet ſimplex, & per accidens.

Dicitur autem conuerſio ſimplex, quando de prædicato fit ſubiectum, & de ſubiecto prædicatum, manente ſecunda propoſitione in eadem qualitate, & quantitate cum prima. Per accidens uero, quando de ſubiecto fit prædicatum, & è conuerſo, manente eadem qualitate propoſitionis, ſed mutata quantitate. Primo modo conuertuntur propoſitiones, vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua. Secundo modo conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & vt aliqui dicunt, vniuerſalis negatiua, tamen non eſt neceſſarium hoc ponere. Si enim ad hanc, nullus homo eſt lapis, ſequitur, nullus lapis eſt homo, & iſta eſt vera, neceſſario ſequitur, hanc eſſe veram, quidam lapis non

eſt ho-

eſt homo. Vt enim ſupradictum eſt, exiſtentibus vniuerſalibus veris, ſemper particulares ſunt veræ, licet non è conuerſo. Primo probemus conuerſionem ſimpliciter, & primo uniuerſalium. Et quia vt dictum eſt, in talibus ſyllogiſmis, & eorum propoſitionibus non curatur, in qua materia ſint, ideo vtemur terminis tranſcendentibus, loco quorum poſſunt poni termini quicumque. Sit ergo propoſitio conuertenda iſta: Nullum b. eſt a. & ſemper ſupponatur, quod pro b. & pro a. ſumantur tales termini ſignificatiui, qui faciunt propoſitionem variam; ſicut ſi pro b. ſumatur homo, & pro a. lapis. Dico ergo quod prædicta propoſitio conuertitur in iſtam; nullum a. eſt b. quod probo per dictum tertium principium ſic: Quando ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis, prima conſequentia fuit bona, ſed ſic eſt in propoſito, ergo &c.

Cum ergo dico, nullum b. eſt a. ergo nullum a. eſt b. facio conſequentiam, cuius antecedens eſt, nullum b. eſt a. Conſequens vero eſt, nullum a. eſt b. modo videamus ſi ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis vere. Huic autem propoſitioni, ſcilicet nullum a. eſt b. quæ eſt conſequens poteſt eſſe duplex oppoſitum, ſcilicet contrarium, & contradictorium. Sumamus ergo contradictorium eius, ſcilicet quoddam a. eſt b. particularis enim affirmatiua, & vniuerſalis negatiua ſunt contradictoriæ: ad iſtam a. ſcilicet, quoddam a. eſt b. ſequitur iſta, ſcilicet quoddam b. eſt a. vt probabo. Sed hæc, quoddam b. eſt a. & illa quæ fuit antecedens, ſcilicet nullum b. eſt a. ſunt oppoſitæ contradictoriæ. Ergo ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis: prima ergo conſequentia, quam vocamus conuerſionem fuit bona.

Nunc oportet probare quomodo ad illam, quoddam a. eſt b. ſequitur illa, quoddam b. eſt a. Hoc autem probatur per ſyllogiſmum expoſitorium. Ponam ergo propoſitiones primas in terminis ſignificatiuis, & ſicut dicimus, quoddam a eſt b. dicamus, quidam homo eſt animal, & ſicut dicimus quoddam b. eſt a. dicamus quoddam animal eſt homo. Accipiamus primam, ſcilicet quidam homo eſt animal, oportet quod ipſa ſit vera in aliquo homine ſignato, puta Sorte, vel Platone, & ſi in nullo homine ſignato erit vera, nullo modo erit vera. Signatur ergo illa res in qua animalitas, & humanitas ſignatur, & vocetur Sortes, modo fiet ſyllogiſmus expoſitorius ſic. Sortes eſt hic homo: Sortes eſt hoc animal: ergo hoc animal eſt hic homo; & per conſequens quoddam animal eſt homo. Ergo ad hanc, quidam homo eſt animal, quæ ſumebatur loco huius, quoddam b. eſt a. ſequitur quoddam a. eſt b. ergo ad hanc, quoddam a. eſt b. ſequitur, quoddam b. eſt a.

b. eſt a. & hoc eſt quod volebamus dicere. Et ſic patet de conuerſione vniuerſalis negatiuæ. Particularis affirmatiua conuertitur ſimpliciter, ſicut quoddam b. eſt a. ergo quoddam a. eſt b. & probatur per idem principium.

Ex oppoſito ergo conſequentis infertur oppoſitum antecedentis; prima ergo conſequentia, ſeu conuerſio fuit bona. Poteſt autem probari hæc conuerſio per ſyllogiſmum expoſitorium, vt dictum eſt. Vniuerſalis autem affirmatiua conuertitur per accidens sic. Omne b. eſt a. quoddam a. eſt b. & probatur eodem modo. Oppoſitum enim huius, quoddam a. eſt b. eſt hoc, nullum a. eſt b. quæ conuertitur in illam, nullum b. eſt a. hæc autem eſt contraria primæ quæ erat. Omne b. eſt a. ex oppoſito ergo conſequentis infertur oppoſitum antecedentis. Prima ergo conſequentia, ſeu conuerſio fuit bona. Particularis vero negatiua non conuertitur, quia ex oppoſito conſequentis non infertur oppoſitum antecedentis. Verbi gratia. Sit propoſitio conuertenda iſta, quoddam b. non eſt a. conuertatur ergo: quia vel conuerteretur in vniuerſalem negatiuam vel in particularem negatiuam. In vniuerſalem negatiuam ſic, quoddam b. non eſt a. ergo nullum a. eſt b. huius oppoſitum eſt, vel omne a. eſt b. vel quoddam a. eſt b. ſed vtraque harum propoſitionum, ſcilicet, omne a. eſt b. vel quoddam a. eſt b. conuertuntur in iſtam quoddam b. eſt a. quæ non eſt oppoſitum antecedentis quod erat, quod b. non eſt a. quia ſubcontrarietas non eſt oppoſitio, vt ſupra patuit. Ergo non valet iſta conuerſio. Idem etiam ſequitur ſi conuerteretur in particularem, ſcilicet in illam, quoddam a. non eſt b. cuius oppoſitum eſt, omne a. eſt b. quæ conuertitur in hanc, quoddam b. eſt a. quæ propriè non eſt oppoſita, vt dictum eſt.

Quod etiam talis conuerſio non valeat, patet, quia non tenet in omni materia, & poteſt oſtendi in terminis ſignificatiuis. Licet enim iſtud ſequatur, quidam lapis non eſt homo; ergo quidam homo non eſt lapis; tamen iſtud non ſequitur, quoddam animal non eſt homo; ergo quidam homo non eſt animal, imo omnis homo eſt animal. Fit autem de prædictis conuerſionibus quidam verſus ſic. Feci ſimpliciter, conuertitur, Eua per acci. Per a. enim ſumitur vniuerſalis affirmatiua, per e. vniuerſalis negatiua. per i. particularis affirmatiua. per o. particularis negatiua. Conſtruitur autem verſus ſic. Fe. ideſt vniuerſalis negatiua. Ci. ideſt particularis affirmatiua conuertuntur ſimpliciter. E. ideſt vniuerſalis negatiua. Va. ideſt vniuerſalis affirmatiua, conuertuntur per accidens. Et ſic patet de conuerſione propoſitionum de ineſſe.

CAPVT

CAPUT TERTIUM.

De conuerſionibus propoſitionum modalium, & differenti modo earum.

NVnc dicendum eſt de conuerſionibus propoſitionum modalium. Sciendum quod propoſitiones de neceſſario, & impoſſibili eodem modo conuertuntur, ſicut propoſitiones de ineſſe, & per idem principium probantur. Propoſitiones vero de poſſibili & contingenti non eodem modo conuertuntur. Sed quia oppoſitiones non eodem modo ſumuntur in propoſitionibus modalibus, ſicut in propoſitionibus de ineſſe; ideo oportet manifeſtare probationes prædictarum propoſitionum: & ſicut oſtendimus de propoſitionibus de neceſſario: ſic erit de propoſitionibus de impoſſibili. Sit ergo propoſitio iſta conuertenda. Neceſſe eſt nullum b. eſſe a. quæ conuertitur in hanc, neceſſe eſt nullum a. eſſe b. quia ex oppoſito ſecundæ propoſitionis infertur oppoſitum præcedentis. Oppoſitum enim iſtius; neceſſe eſt nullum a eſſe b. eſt iſtud, non neceſſe eſt nullum a. eſſe b. ſed iſta æquipollet huic, poſſibile eſt aliquod a. eſſe b. Nam non neceſſe non eſſe æquipollet huic quod eſt poſſibile eſſe, quia non nullus æquipollet huic quod eſt aliquis. Ergo iſta non neceſſe eſt nullum a. eſſe b. æquipollet huic, poſſibile eſt aliquid a. eſſe b. Ad hanc autem ſequitur, poſſibile eſt aliquod b. eſſe a. quod poteſt probari per ſyllogiſmum expoſitorium, vt ſupradictum eſt de particulari affirmatiua: ſed iſta, poſſibile eſt aliquod b. eſſe a. eſt contradictoria antecedentis quæ erat, neceſſe eſt nullum b. eſſe a. ex oppoſito ergo conſequentis infertur oppoſitum antecedentis. Prima ergo conſequentia, ſeu conuerſio fuit bona. Particularis affirmatiua conuertitur eodem modo, & probatur per idem principium ſic. Neceſſe eſt quoddam b. eſſe a. ergo neceſſe eſt quoddam a. eſſe b. Cuius oppoſitum eſt. Non neceſſe eſt aliquod a. eſſe b. quæ æquipollet huic, poſſibile eſt nullum a. eſſe b. quæ conuertitur in iſtam, poſſibile eſt nullum b. eſſe a. non enim ſumitur hic poſſibile prout idem eſt quod contingens, quia non conuertitur ſicut infra patebit, ſed ſumitur modo poſſibile in ſuo toto ſignificato, vt comprehendit neceſſarium, & contingens, vt ſupra in alio tractatu dictum eſt. Hæc autem, poſſibile eſt nullum b. eſſe a. eſt contradictoria huic, neceſſe eſt quoddam b. eſſe a. quæ erat antecedens. Eodem etiam modo prior conuerſio vniuerſalis affirmatiuæ per accidens, ſcilicet per conuerſionẽ per accidens factam.

Notan-

Notandum quod hæc eſt differentia inter concreta accidentalia prædicata, & ſubſtantialia, ſeu ipſorum ſubiecta. Nam ex parte prædicati dicunt formam, ex parte vero ſubiecti dicunt illud quod habet illam formam. Cum enim dico, Sortes eſt albus, ly albus, dicit ſolam formam albedinis: ſed cum dico: Quoddam album eſt Sortes, ly album, dicit habens albedinem.

In tali ergo materia deficit conuerſio modalium affirmatiuarum. Nam hæc eſt vera; neceſſe eſt quoddam album eſſe corpus, & tamen hæc eſt falſa, neceſſe eſt quoddam corpus eſſe album: quia hæc eſt contingens. Et ſic patet de conuerſionibus propoſitionum de neceſſario. Eodem modo fiunt illæ de impoſſibili in ſuo toto ſignificato. Conuerſiones autem propoſitionum de contingenti, & de poſſibili, vt eſt idem quod contingens, fiunt in terminis, ſcilicet, vt contingit nullum b. eſſe a. conuertitur in hanc, contingit omne b. eſſe a. Vnde iſtæ conuerſiones alio modo, & oppoſito ſe habent ad conuerſiones propoſitionum de ineſſe, & modalium dictarum. Nam in illis ſemper de ſubiecto fit prædicatum, & è conuerſo, & ſemper in eis ſeruatur eadem qualitas, licet non ſemper eadem quantitas. In iſtis vero, quod fuit ſubiectum, vel prædicatum, eodem modo remanet, & mutatur qualitas. Ratio horum eſt; quia vt dictum eſt, illa eſt bona conuerſio, in qua ſicut eſt veritas in propoſitione conuerſa, ita eſt in illa, in quam conuertitur. Si autem propoſitio de contingenti conuerteretur ſic, quod de ſubiecto fieret prædicatum, & è conuerſo, non inueniretur in omni materia vera, ſed in aliqua materia eſſet antecedens verum, & conſequens falſum. Ergo mala eſſet conuerſio. Verbi gratia, in terminis ſignificatiuis contingit nullum hominem eſſe album, hæc eſt vera, quia contingere hoc poſſet, ſi conuertatur ſic, contingit nullum album eſſe hominem, hæc eſt falſa. Ponatur ergo modo, quod Sortes eſſet albus, quia eſt albus, nunquam poterit contingere Sortem non eſſe hominem.

Fit autem iſta conuerſio in diuerſa qualitate. Nam triplex eſt contingens, vel ad vtrumlibet, vt contingit hominem habere duos oculos: vel vt in pluribus, vt contingit hominem habere duos oculos: vel vt in paucioribus, vt contingit hominem eſſe monoculum. Contingens autem ad vtrumlibet dicitur: quia quot poſſunt ineſſe, tot poſſunt remoueri; ergo negatiua & affirmatiua ſunt ſimul veræ.

Contingens autem vt in pluribus non conuertitur in contingens vt in pluribus, ſed in contingens vt in paucioribus. Vnde illa, contingit nullũ hominem eſſe cæcũ, conuertitur in iſtã, contingit omnem hominem eſſe cæcũ. Prima enim eſt contingens vt in pluribus, ſecunda vero

vt in paucioribus. Eodem modo conuertitur contingens vt in paucioribus, ſicut contingens vt in pluribus, & eodem modo ſumitur eorum conuerſio, ſicut dictum eſt de contingentibus ad vtrumlibet. Nam ſi contingit in pluribus, deficit in paucioribus, & ſi contingit in paucioribus, deficit in pluribus, & ſic patet de conuerſionibus modalium.

Notandum quod aliquæ propoſitiones ponuntur, quæ carent conuerſione, cum nihil faciant ad propoſitum, quia nulla earum poſſet poni in aliquo ſyllogiſmorum, qui reducendi ſunt, ita videlicet quod illæ indigeant conuerſione, & ſic de dictis tractare eſt ſuperfluum.

CAPVT QVARTVM.

De ſyllogiſmis oſtenſiuis de ineſſe quo ad modum, & ſignum.

HIs habitis, modo dicendum eſt de ſyllogiſmis, & primo de ſyllogiſmis de ineſſe. Secundo de modalibus. Tertio, de hypotheticis. Syllogiſmorum autem de ineſſe quidam ſunt oſtenſiui, quidam vero ad impoſſibile, vnde primo dicendum eſt de ſyllogiſmis oſtenſiuis.

Sciendum quod omnis ſyllogiſmus oſtenſiuus conſtat ex tribus orationibus, quarum duæ vocantur propoſitiones ſeu præmiſſæ, vltima vero dicitur concluſio. Verbi gratia. Omne animal eſt ſubſtantia: omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Iſtæ duæ, ſcilicet omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, ſunt duæ propoſitiones, quarum prima, ſcilicet omne animal eſt ſubſtantia, dicitur maior; ſecunda vero dicitur minor, ſeu aſſumpta: tertia vero oratio, ſcilicet omnis homo eſt ſubſtantia, dicitur concluſio. Et licet prædictæ tres orationes ſint perfectæ, conſtantes ex ſubiecto, & prædicato, non tamen habent niſi tres terminos, qui ſunt, homo, animal, & ſubſtantia. Et cauſa eſt, quia omnes iſti termini ſumuntur bis, vnde terminus bis ſumptus in præmiſſis, dicitur medium.

Terminus in maiori propoſitione ſumptus cum medio dicitur maior extremitas. Terminus vero ſumptus in minori propoſitione cum medio, dicitur minor extremitas. In concluſione vero iterum ſumitur maior extremitas cum minori, ita ſcilicet, quod ſi concluſio eſt directa, maior extremitas prædicatur de minori. Si vero indirecta, fit è conuerſo. Vnde medium nunquam ponitur in concluſione.

Ad ſciendum autem cauſas dictorum nominum, ſciendum quod homo eſt rationalis. Dicitur autem rationalis, & non intellectualis,

quia

quia intellectus apprehendit quicquid apprehendit, ſine diſcurſu. Ratio vero licet non ſit alia potentia quàm intellectus, tamen dicitur ratio, quia quicquid apprehendit, apprehendit cum diſcurſu. Non ergo venit ad perfectam apprehensionem alicuius rei, nisi diſcurrat à magis noto ad minus notum. Verbi gratia. Ad cognoſcendum perfectè quid ſit homo, primo intelligimus quòd ſit ens, deinde quod ſit ſubſtantia, deinde quòd ſit corpus, deinde quod ſit animatum corpus, deinde anima, deinde rationalis, & ſic veniemus in cognitionem hominis diſcurrendo.

Si autem talis diſcurſus fiat sine complexione, ſcilicet intelligendo ens ſubſtantiam corpus non ponendo ibi, eſt, vt ſcilicet non dicamus hoc eſt homo: vel fiat cum complexione, nihil ad propoſitum, ſufficit quod diſcurrendo intelligimus, & talis diſcurſus eſt à magis noto nobis ad minus notum. Magis autem nota nobis ſunt magis vniuerſalia, vt 1. Phyſ. dicitur; quia ſunt magis confuſa. Diſcurſus ergo noſter in noſtra cognitione eſt à magis vniuerſalibus ad minus vniuerſalia: Vnde magis & prius cognoſcimus ens quàm ſubſtantiam, & ſubſtantiam quàm corpus, & corpus quàm animatum corpus, & animatum corpus quàm animal, & animal quàm hominem.

De tali autem diſcurſu eſt ſyllogiſmus, qui nihil aliud est quàm oratio, ſeu congregatio orationum, vt Boetius dicit, in qua est talis diſcurſus. Et licet in tali diſcurſu multa poſſint eſſe media, & multæ præmiſſæ ad vnam concluſionem. Verbi gratia: Omnis ſubſtantia eſt ens, omnis homo eſt ſubſtantia, quæ est corpus, quod est animal; ergo omnis homo eſt ens, tamen quia medium ſemper duarum extremitatum eſt medium, in tali diſcurſu multos comprehendimus syllogiſmos. Vnus ergo eſt ſyllogiſmus vnius medij, & duarum extremitatum.

Et quia in prædicto diſcurſu terminorum, primus, qui vniuerſalior eſt, & per conſequens magis notus, primo intellectui occurrit, dicitur maior extremitas: extremitas enim dicitur, quia primo occurrit intellectui, & maior: quia vniuerſalior, & magis nota.

Secundus autem terminus qui intellectui occurrit, eſt qui non eſt ita vniuerſalis, tamen ſecundum locum tenet poſt primum in vniuerſalitate, vt eſt corpus poſt ſubſtantiam: huic autem ſecundo termino iam ſcimus ineſſe primum terminum, & hæc dicitur maior propoſitio, quia prior cognitione. Sed quia nondum ſcimus ſecundum ineſſe alicui minus vniuerſali termino, diſcurrit adhuc ratio, & cognoſcit corpus ineſſe animali, vbi ſiſtit, & hæc eſt minor propoſitio, & ſtatim cognoſcit ſubſtantiam ineſſe animali, & hæc eſt concluſio. Certè in

iſtis terminis medium fuit corpus, & ipſum fuit cauſa quod nos ſciremus ſubſtantiam ineſſe animali: vltimus autem terminus in prædicto diſcurſu fuit animal, vbi ſtetit ratio, & propter hoc dicitur minor extremitas. Extremitas enim dicitur, quia ibi ſtetit diſcurſus rationis; minor vero dicitur, quia minus vniuerſalis, & per conſequens minus nota nobis.

Habemus ergo cauſas dictorum nominum, & rationes terminorum, & præmiſſarum, & concluſionis. Ex dictis poteſt patere, quod dicit Philo. 1. poſteriorum, quod maior propoſitio eſt prius nota concluſione natura, & tempore. Natura quia termini eius ſunt magis vniuerſales, vt dictum eſt. Tempore vero, quia in diſcurſu rationis prius ſciui ſubſtantiam ineſſe corpori, quàm ineſſe animali. Minor vero propoſitio eſt prius nota natura, non tamen tempore. Natura, quia cauſa prior eſt cauſato: propoſitiones autem ſunt cauſa concluſionis, & quia etiam iſte fuit prior diſcurſus rationis, de medio, ſcilicet ad minorem extremitatem, non tamen eſt prius nota tempore. Qui enim ſciebam ſubſtantiam ineſſe corpori, in eodem inſtanti in quo ſciui corpus ineſſe animali, ſciui ſubſtantiam ineſſe animali, & ſic patet de partibus syllogiſmis, & nominibus earum.

Habent autem syllogiſmi figuras, & modos. Dicitur autem hic figura ordo trium terminorum ſecundum ſubiectionem & prædicationem. Sicut enim termini linearum in mathematicis aliter & aliter ſituati variant ſpecies figurarum (nam tria puncta quæ faciunt triangulum, ſi inter ſe æqualiter diſtabunt, erit ſpecies trianguli, quæ dicitur æquilaterus ſiue hyſopleuros. Si vero duo æqualiter diſtabunt à tertio quorum diſtantia inter ſe eſt minor vel maior diſtantia eorum ad tertium, eſt ſpecies trianguli, quæ dicitur hyſocheles. Si vero omnes diſtantiæ punctorum ſint inæquales, eſt ſpecies trianguli quæ dicitur gradatus, ſiue ſcalenon) ſic ſecundum diuerſitatem iſtorum trium terminorum in ſubijciendo, & prædicando fiunt tres figuræ syllogiſmorum, licet alio modo quam in figuris ſuperficialibus iam dictis. Si enim medium in vna propoſitione ſubijcitur, & in altera prædicatur, dicitur eſſe prima figura, & merito: quia tunc medium verè eſt medium, quia ſapit naturam vtriuſque extremi, ſcilicet ſubiecti & prædicati: prædicatur enim, & ſubijcitur, vt dictum eſt. Si vero medium in vtraque propoſitione prædicatur dicitur eſſe ſecunda figura, quia licet medium non ſit vere medium ſapiens naturam ſubiectionis, & prædicationis, tamen quia dignius eſt prædicari quam ſubijci, ideo hæc figura ſecundum locum tenet. Si vero medium in vtraque propoſitione ſubijcitur, dicitur tertia figura, & vltima, quia in ea medium

dium non ſtat in medio ſicut in prima, & ſubijcitur ſemper quod eſt indignius.

Plures figuræ non poſſunt eſſe, quia tres termini in duabus propoſitionibus non poſſunt pluries variari; vnde verſus. Sub præ prima, bis præ ſecunda, tertia ſub bis. Qui ſic conſtruitur. Prima, ideſt in prima figura medium ſub, ideſt ſubijcitur & præ ideſt prædicatur. Secunda, ideſt in ſecunda figura medium præ, ideſt prædicatur bis, ideſt in vtraque præmiſſarum. Tertia, ideſt in tertia figura medium ſub ideſt ſubijcitur bis, ideſt in vtraque præmiſſarum. Modus vero vt hic ſumitur, eſt ordinatio duarum propoſitionum in certa qualitate, & quantitate, & dicitur modus, quia eſt quædam accidentalis determinatio ipſarum propoſitionum ſyllogiſmi &c.

CAPVT QVINTVM.

De ſyllogiſmis inutilibus in omni figura.

Reſtat nunc dicere de ipſis ſyllogiſmis. Vbi nota, quod vt ſupra dictum eſt, in hoc opere tractatur de ſyllogiſmo ſimpliciter, ſcilicet de forma ipſius ſyllogiſmi, inquantum ſyllogiſmus eſt, non applicando in aliquam materiam, & ideo illa erit vera forma ſyllogiſmi, quæ applicata cuiquam materiæ ſemper ſi præmiſſæ erunt veræ, ſequetur ex eis concluſio vera. Si vero ſyllogiſmus in aliqua materia exiſtentibus præmiſſis ueris, ſequitur concluſio falſa, licet in aliqua alia materia ſequatur concluſio uera, talis non erit uerus ſyllogiſmus, ſed dicitur inutilis coniugatio.

Harum autem inutilium coniugationum quædam poſſunt fieri in omnibus figuris, quædam uero in duabus uel ſolum in una figura, quæ fiunt in omnibus figuris, ſunt quatuor. Prima eſt ſi ambæ præmiſſæ ſint negatiuæ. Secunda, ſi ambæ præmiſſæ ſunt particulares. Tertia, ſi ambæ ſunt indefinitæ. Quarta, ſi albæ ſunt ſingulares. Tales enim ſyllogiſmi, ſiue coniugationes in quacunque figura fiant, in aliqua materia poſſunt concludere uerum; & in alia falſum, & propter hoc dicuntur inutiles. Verbi gratia. De ambabus negatiuis in prima figura aliquando concluditur uerum ſic. Nullus homo eſt lapis, nullus aſinus eſt homo, ergo nullus aſinus eſt lapis. Aliquando concluditur falſum ſic. Nullus homo eſt lapis, nulla margarita eſt homo, ergo nulla margarita eſt lapis. Falſa eſt concluſio. Quia omnis margarita eſt lapis, & ſic poteſt fieri in ſecunda, & tertia figura.

De hac

De hac, & de tribus dictis inutilibus coniugationibus datur una regula generalis, ſcilicet in omnibus figuris ex puris negatiuis particularibus indefinitis, & ſingularibus nihil ſequitur. Inutiles vero coniugationes, quæ aliquando non ſunt in omnibus figuris, ſed in aliquibus ſunt duæ, vna eſt quæ conuenit primæ, & tertiæ figuræ, ſcilicet quando minor propoſitio eſt negatiua. Secundo vero conuenit primæ, & ſecundæ figuræ, ſcilicet quando maior propoſitio eſt particularis, & de eis dantur regulæ generales, ſcilicet in prima, & tertia figura minori exiſtente negatiua nihil ſequitur.

Notandum, quod in prima figura hic debet intelligi de ſyllogiſmis directè concludentibus. Nam ſunt in ea duo modi ſyllogiſmorum indirectè concludentes, in quibus minor eſt negatiua, nec tamen inutiles ſunt coniugationes. Secunda regula; in prima, & ſecunda figura maiori exiſtente particulari nihil ſequitur, & ſimiliter in prima intelligitur de concludentibus directè.

Dantur autem duæ aliæ regulæ generales, quarum prima eſt; ſi altera præmiſſarum eſt negatiua etiam concluſio eſt negatiua. Secunda eſt, ſi altera præmiſſarum fuerit particularis concluſio erit particularis. Cauſa eſt, vt enim dictum eſt, maior extremitas ineſt minori in concluſione in virtute medij inquantum, ſcilicet ineſt medio in maiori propoſitione, & medium ineſt minori extremitati in minori propoſitione, ſiue alio modo ſumatur inhærentia dictorum terminorum, ſicut fit in alijs figuris, eo modo quo medium inerit alicui extremitati, vel è conuerſo; vna extremitas inerit alteri.

Sed ſi aliqua præmiſſarum fuerit particularis, debet medium ineſſe extremitati, vel extremitas in medio particulariter. Ergo concluſio quæ dicit extremitatem ineſſe extremitati erit particularis, & hoc in ſyllogiſmis affirmatiuis, ſufficit quantum ad ſecundam regulam. In ſyllogiſmis autem negatiuis eodem modo virtute medij concluditur. Si enim medium vni extremitati ineſt, & è conuerſo ab altera remouetur, neceſſe eſt extremitatem ab extremitate remoueri, & ſic erit concluſio negatiua; & hoc quantum ad primam regulam, in eiſdem etiam ſyllogiſmis ſi medium particulariter inerit, vel è conuerſo, vel particulariter remoueatur ab aliqua extremitate, vel è conuerſo, neceſſario ſequitur extremitatem ab extremitate particulariter remoueri, & ſic concluſio erit particularis negatiua. Veræ itaque ſunt regulæ prædictæ, &c.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De ſyllogiſmis primæ figuræ directe concludentibus, & de ſyllogiſmis ſecundæ figuræ.

NVnc dicendum eſt de ſyllogiſmis vtilibus. Et primo de his qui ſunt in prima figura; hi autem ſunt quatuor. Primus eſt quando maior, & minor propoſitiones ſunt vniuerſales affirmatiuæ, & ſequitur concluſio vniuerſalis affirmatiua ſic ponendo in terminis tranſcendentibus. Omne b. eſt a. omne c. eſt b. ergo omne c. eſt a. probatur autem syllogiſmus per hoc principium quod eſt dici de omni. Vt enim dictum eſt dici de omni eſt, quando nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum: ſic enim in propoſito eſt. ergo &c. Ponamus ergo in terminis ſignificatiuis, & ſit b. animal, a. vero ſubſtantia. c. autem ſit homo: fiat ergo syllogiſmus ſic. Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Certum eſt quod ſi iſta eſt vera, omne animal eſt ſubſtantia, nihil erit ſumere ſub animali de quo non dicatur ſubſtantia. Si ergo omnis homo eſt animal, tunc omnis homo eſt ſub animali. Debet ergo ſumi, ſic ſubſtantia prædicatur de animali; ita prædicabitur de homine.

Secundus modus eſt, quando ex minori vniuerſali negatiua, & ex minori vniuerſali affirmatiua concluditur vniuerſalis negatiua ſic. Nullum b. eſt a. omne c. eſt b. ergo nullum c. eſt a. & probatur per alterum principium, quod eſt dici de nullo. In terminis ergo ſignificatiuis oſtenditur ſic. Sit b. animal, a. vero lapis. c. autem ſit homo. Si enim nullum animal eſt lapis nihil erit ſumere ſub animali, à quo non remoueatur lapis. Sic enim omnis quod eſt ſignum vniuerſale affirmatiuum eſt diſtributiuum, & diſtribuit affirmatiuè pro ſingulis contentis ſub eo, cui iungitur, ita etiam nullus pro ſingulis talibus diſtribuit negatiuè.

Tertius modus eſt, quando ex maiori vniuerſali affirmatiua, & ex minori particulari affirmatiua concluditur particularis affirmatiua ſic. Omne b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. eſt a. & probatur per dici de omni.

Quartus modus eſt quando ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua concluditur particularis negatiua ſic. Nullum b. eſt a quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. non eſt a. & probatur per dici de nullo.

Scien-

Sciendum, quod licet iſti duo vltimi ſyllogiſmi probari poſſint per dici de omni, & per dici de nullo, vt dictum eſt; tamen Philoſophus primo priorum reducit eos ad duos modos primos, in quibus verius ſaluatur dici de omni, & dici de nullo propter vniuerſalitatem minoris propoſitionis eorum, & hoc faciemus in fine omnium.

Secunda figura quatuor habet modos. Primus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, ex quibus ſequitur concluſio vniuerſalis negatiua ſic. Nullum b. eſt a. omne c. eſt a. ergo nullũ c. eſt b. In iſto enim ſyllogiſmo non poteſt oſtendi dici de nullo, quia ſub b. cui iungitur ſignũ vniuerſale, ſcilicet nullum nihil ſumitur à quo poſſit remoueri ſubiectum. Et ideo ad hoc quod probetur per dici de nullo, reducatur ad ſecundum modum primæ figuræ. Hoc autem dupliciter fieri poteſt, vel per conuerſionem maioris ſimpliciter, vt dicatur ſic: Nullum a. eſt b. omne c. eſt a. ergo nullum c. eſt b. & probatur etiam per tertium principium ſupradictum, quod erat quando ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis prima conſequentia eſt bona.

Sciendum, quod omnis ſyllogiſmus eſt quædam conſequentia, in qua antecedens ſunt ambæ præmiſſæ, conſequens vero eſt concluſio. Vnde ſi ex oppoſito concluſionis cum altera præmiſſarum infertur oppoſitum alterius præmiſſæ in ordinatione, in qua ſaluatur dici de omni, vel dici de nullo, prima conſequentia, ſeu ſyllogiſmus erit bonus. Sic enim in propoſito. Conſequens enim ſiue concluſio eſt, nullum c. eſt b. quæ duo habent oppoſita, ſcilicet contrarium, & contradictio: Sumatur eius contrarium, ſcilicet, Omne c. eſt b. ſumatur modo maior prædicti ſyllogiſmi, ſcilicet, Nullum b. eſt a. & oppoſita contraria concluſionis fiat minor, & dicatur ſic. Nullũ b. eſt a. omne c. eſt b. ergo nullum c. eſt a. Iſte ſyllogiſmus eſt in ſecundo modo primæ figuræ, & ex oppoſito conſequentis, ſeu concluſionis infertur illa, nullum c. eſt a. quæ eſt oppoſita vnius præmiſſæ, ſcilicet minoris, quia eſt contraria minori primi ſyllogiſmi, quæ erat, omne c. eſt a. ergo ex oppoſito conſequentis cum vna præmiſſarum infertur oppoſitum alterius præmiſſæ. Prima ergo conſequentia, ſeu ſyllogiſmus fuit bonus.

Secundus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua ex quibus ſequitur concluſio vniuerſalis negatiua ſic. Omne b. eſt a. nullum c. eſt a. ergo nullum c. eſt b. Iſte ſyllogiſmus reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ per conuerſionem minoris ſimpliciter, & per tranſpoſitionem præmiſſarum, vt ſcilicet, iſta quæ erat maior fiat minor ſic. Nullum a. eſt c. omne b. eſt a. ergo nullum b. eſt c. maior iſtius ſyllogiſmi fuit illa in qua conuerſa

fuit

fuit minor primi ſyllogiſmi, quæ erat, nullum c.eſt a. Per tertium vero principium ſeu per syllogiſmum conuerſiuum reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ ſic, ſumatur propoſitio contraria concluſioni quæ eſt, omne c.eſt b.& fiat minor sic. Omne b.eſt a. omne c.eſt b. ergo omne c.eſt a. Hæc autem quæ concluditur in iſto ſecundo syllogiſmo, ſcilicet omne c. eſt a. eſt contraria huic, nullum c.eſt a. quæ erat minor ex oppoſito conſequentis.

Tertius modus eſt, quando ex maiori vniuerſali negatiua,& minori particulari affirmatiua concluditur particularis negatiua sic. Nullum b.eſt a.quoddam c.eſt a.ergo quoddam c.non eſt b. Hic reducitur ad quartum modum primæ figuræ per conuersionem maioris ſimpliciter. Nullum a.eſt b. quoddam c. eſt a. ergo quoddam c. non eſt b. Reducitur autem per syllogiſmum conuersiuum ad ſecundum modum primæ figuræ. Oppoſitum enim concluſionis quod eſt, quoddam c.non eſt b. eſt iſtud, omne c.eſt b. & fiat minor sic, nullum b.eſt a. omne c.eſt b. ergo nullum c.eſt a.quæ eſt oppoſita minoris ſillogiſmi primi quæ erat,quoddam c.eſt a.

Quartus modus eſt; quando ex maiori vniuerſali affirmatiua, & ex minori particulari negatiua concluditur particularis negatiua ſic. Omne b.eſt a. quoddam c.non eſt a. ergo quoddam c. non eſt b. Iſte syllogiſmus poteſt reduci per conuerſionem præmiſſarum, maior enim quæ eſt vniuerſalis affirmatiua, non poteſt conuerti niſi in particularem affirmatiuam, & minor eſt particularis. Ex pluribus autem particularibus,vt dictum eſt,nihil ſequitur: reducitur ergo per syllogiſmum quod aliquando vocatur per impoſſibile ſicut reducti fuerunt cæteri tres syllogiſmi ſupradicti,& reducitur ad primum modum primæ figuræ. Oppoſitum enim concluſionis, quæ erat, quoddam c. non eſt b. iſtud, omne c. eſt b. quod fiat minor ſic. Omne b. eſt a. omne c.eſt b. ergo omne c.eſt a. hæc autem eſt oppoſita minoris quæ erat quoddam c.non eſt a. Et ſic patet de syllogiſmo primæ, & ſecundæ figuræ.

CAPVT SEPTIMVM.

De ſyllogiſmis tertiæ figuræ, & de reductione omnium ſyllogiſmorum ad ad duos primos modos primæ figuræ.

TErtia vero figura ſex habet modos. Primus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua,&ex minori vniuerſali affirmatiua, ad quas ſequitur concluſio particularis affirmatiua ſic.Omne b. eſt.a;om-

ne b. eſt c. ergo quoddam c. eſt a. Iſte ſyllogiſmus per conuerſionem minoris per accidens reducitur ad tertium modum primæ figuræ ſic. Omne b. eſt a; quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. eſt a. Per ſyllogiſmũ vero conuerſiuum reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ. Sumatur enim oppoſitum concluſionis quod eſt. Nullum c. eſt a. & fiat maior ſic. Nullum c. eſt a. omne b. eſt c. ergo nullum b. eſt a. hæc autem eſt contraria maioris primi ſyllogiſmi quæ erat, omne b. eſt a.

Sciendum, quod in reductione per ſyllogiſmum conuerſiuum hæc differentia eſt inter ſyllogiſmos ſecundæ & tertiæ figuræ. Nam in ſyllogiſmis ſecundæ figuræ ex oppoſito concluſionis fit minor propoſitio; & infertur oppoſitum minoris propoſitionis; in ſyllogiſmis vero tertiæ figuræ ex oppoſito concluſionis fit maior propoſitio, & infertur oppoſitum maioris propoſitionis.

Secundus modus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & ex minori vniuerſali affirmatiua ad quas ſequitur concluſio particularis negatiua ſic. Nullum b. eſt a. omne b. eſt. c. ergo quoddam c. non eſt a. hæc per conuerſionem minoris per accidens reducitur ad quartum modum primæ figuræ ſic. Nullum b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. non eſt a. Sed per ſyllogiſmum conuerſiuum reducitur ad primum modum primæ figuræ ſi accipiatur oppoſitum concluſionis, & fiat maior ſic: Omne c. eſt a: omne b. eſt c. ergo omne b. eſt a. hæc concluſio eſt contraria maiori primi ſyllogiſmi.

Tertius modus conſtat ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, ex quibus ſequitur concluſio particularis affirmatiua ſic. Quoddam b. eſt a: omne b. eſt c. ergo quoddam c. eſt a. hæc per conuerſionem reducitur ad tertium modum primæ figuræ conuertendo maiorem ſimpliciter, & tranſponendo propoſitione ſic. Omne b. eſt c. quoddam a. eſt b. ergo quoddam a. eſt c. per ſyllogiſmum vero conuerſiuum reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ ſic. Nullum c. eſt a. omne b eſt c. ergo nullum b. eſt a. hæc concluſio eſt contradictoria maioris, quæ erat quoddam b. eſt a.

Quartus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua concludentibus particularem affirmatiuam ſic. Omne b. eſt a: quoddam b. eſt c. ergo quoddam c. eſt a. hæc per conuerſionem minoris reducitur ad tertium modum primæ figuræ ſic. Omne b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. eſt a. Per ſyllogiſmum vero conuerſiuum reducitur ad quartum primæ ſic. Nullum c. eſt a; quoddam b. eſt c. ergo quoddam b. non eſt a. hæc concluſio eſt contradictoria maioris primi ſyllogiſmi, quæ erat omne b. eſt a.

Quintus modus conſtat ex maiori particulari negatiua, & minori vniuer-

vniuerſali affirmatiua concludentibus particularem negatiuam sic. Quoddam b. non eſt a. omne b. eſt c. ergo quoddam c. non eſt a. Hæc non poteſt reduci per conuerſionem, quia maior eius non poteſt conuerti, cum ſit particularis negatiua; minor vero conuertitur in particularem. Ex puris autem particularibus nihil ſequitur; per syllogiſmum vero conuerſiuum reducitur ad primum primæ ſic. Omne c. eſt a. omne b. eſt c. ergo omne b. eſt a. Et hæc eſt contradictio maioris primi syllogiſmi quæ erat, quoddam b. eſt a.

Sextus modus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua concludentibus particularem negatiuam ſic. Nullum b. eſt a. quoddam b. eſt c. ergo quoddam c. non eſt a. Hæc per conuerſionem minoris reducitur ad quartum primæ ſic. Nullum b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. non eſt a. Per syllogiſmum vero conuerſiuum reducitur ad tertium primæ ſic. Omne c. eſt a. quoddam b. eſt c. ergo quoddam b. eſt a. quæ eſt cōtradictoria maioris primi syllogiſmi, quæ erat nullum b. eſt a. Et ſic patet de syllogiſmis directè concludentibus in omnibus figuris, & de eorum probationibus. Philoſophus autem reduxit omnes ſyllogiſmos ad duos vniuerſales primæ figuræ.

Vnde tertium modum primæ figuræ reduxit per syllogiſmum conuerſiuum ad ſecundum modum ſecundæ figuræ, & quartum modum eiuſdem primæ figuræ reduxit per syllogiſmum conuerſiuum ad primum ſecundæ. Illi autem reducuntur ad duos modos vniuerſales primæ figuræ, vt dictum eſt. Omnes ergo reducuntur ad duos modos vniuerſales primæ figuræ, in quibus ſaluatur perfectè dici de omni, & dici de nullo.

Quod autem reducuntur prædicti duo modi primæ figuræ ad vniuerſales ſecundæ, puta tertio primæ figuræ patet ſic. Omne b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. eſt a. Oppoſitum concluſionis eſt, nullum c. eſt a. quæ fiat minor, & fiet syllogiſmus in ſecundo ſecundæ figuræ ſic. Omne b. eſt a. nullum c. eſt a. ergo nullum c. eſt b. quæ eſt oppoſita minoris quæ erat, quoddam c. eſt b.

Quartus vero reducitur ad primum. Eſt enim quartus modus ſic. Nullum b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam c. non eſt a. Oppoſitum concluſionis eſt. Omne c. eſt a. quæ fiat minor, & fiet syllogiſmus in primo ſecundæ figuræ ſic. Nullum b. eſt a. omne c. eſt a. ergo nullum c. eſt b. Patet ergo qualiter omnes syllogiſmi reducuntur ad duos modos vniuerſales primæ figuræ.

CAPUT OCTAVUM.

De ſyllogiſmis indirectè concludentibus, & de reductione ipſorum.

RESTAT nunc dicere de ſyllogiſmis indirectè concludentibus. Eſt autem indirectè concludere minorem extremitatem prędicari de maiori in concluſione. Tales autem ſyllogiſmi ſunt numero decem, quinque enim ſunt in prima figura, duo in ſecunda figura, & tres in tertia figura. Sciendum, quod omnis ſyllogiſmus concludens aliquam concluſionem quę conuerti poteſt, etiam poteſt concludere illam in quam conuertitur. Cum ergo omnes concluſiones dictorum ſyllogiſmorum poſſunt conuerti, exceptis particularibus negatiuis, omnes tales ſyllogiſmi poterunt concludere indirectè.

Tales autem in prima figura ſunt tres, ſcilicet, primus modus, ſecundus, & tertius. In ſecunda ſunt duo, ſcilicet primus, & ſecundus. in tertia ſunt tres, ſcilicet primus, & tertius, & quartus. Adducantur autem in prima figura duo modi, qui ſunt contra duo principia ſiue regulas datas in prima figura. Nam ambo habent minorem negatiuam, quod eſt contra illam regulam.

In prima figura minori exiſtente negatiua nihil ſequitur; & alter eorum habent maiorem particularem contra aliam regulam. Doctores autem moderni, ſcilicet Boetius pręterміſſis quinque, ſcilicet ſecundę, & tertię figurę de ſolis quinque primę figurę fecerunt mentionem. Quorum primus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua concludentibus indirectè particularem affirmatiuam sic. Omne b. eſt a. omne c eſt b. ergo quoddam a. eſt c. Reducitur autem ad primum primę, ſi concluſio particularis conuertatur in vniuerſalem. Secundus conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua concludentibus indirectè vniuerſalem negatiuam sic. Nullum b. eſt a. omne c. eſt b. ergo nullum a. eſt c. Reducitur ad ſecundum primę conuerſa concluſione ſimpliciter. Tertius modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua concludentibus indirectè particularem affirmatiuam sic. Omne b. eſt a. quoddam c. eſt b. ergo quoddam a. eſt c. Reducitur ad tertium primæ conuerſa concluſione ſimpliciter.

Quartus modus conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, concludentibus indirectè particularem negatiuam sic. mne b. eſt a. nullum c. eſt b. ergo quoddam a. non eſt c. Et reducitur ad quartum primę conuerſa maiori per accidens, & minori ſimplici-

pliciter,& tranſpoſitis propoſitionibus, vt de minori fiat maior, & de maiori minor ſic. Nullum b.eſt c.quoddam a. eſt b. ergo quoddam a. non eſt c.

Quintus modus conſtat ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua concludentibus indirectè particularem negatiuam ſic. Quoddam b. eſt a. nullum c.eſt b. ergo quoddam a. non eſt c. Et reducitur ad quartum primæ per conuerſionẽ ſimpliciter vtriuſque propoſitionis,& tranſpoſitis vtriſque ſic. Nullum b.eſt c.quoddam a. eſt b. ergo quoddam a. non eſt c. Et ſic patet de syllogiſmis indirectè concludentibus.

Sciendum autem quod ad memoriter tenendum prædictos ſyllogiſmos inuenti ſunt quidam verſus, qui taliter deſignantur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio,
Baralipton,Celantes,Dabitis,Fapeſmon,Friſeſomorum,
Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco,
Darapti,Felapton,Diſamis,Datiſi,Brocardo,Feriſon.

Quorum intellectus talis eſt. In his verſibus ſunt xix.dictiones,quæ ſecundum ordinem ſuum deſeruiunt xix. modis ſyllogiſmorum, ſcilicet nouem modis primæ figuræ, quatuor concludentibus directè, & quinque indirectè, & quatuor ſecundæ figuræ, & ſex tertiæ figuræ. Omnes autem hæ dictiones ſunt triſyllabæ, quarum prima ſyllaba deſeruit maiori propoſitioni, ſecunda minori, tertia concluſioni. Et ſi in aliqua dictione inueniuntur plures syllabæ non ſunt neceſſariæ, ſed ponuntur cauſa metri. In prædictis autem ſyllogiſmis ſunt quatuor vocales,ſcilicet, A,E,I,O, quæ ſic ſignificant, A, ſignificat vniuerſalem affirmatiuam. E, vniuerſalem negatiuam. I, particularem affirmatiuam. O, particularem negatiuam. Vnde Barbara qui deſeruit primo modo primæ figuræ in omnibus syllabis habet A, quia omnes eius propoſitiones ſunt vniuerſales affirmatiuæ. Omnes prædictæ dictiones incipiunt ab his quatuor conſonantibus, ſcilicet B, C, D, F, primæ autem quatuor dictiones quæ deſeruiunt quatuor modis primę figurę, directè concludentibus à prędictis quatuor conſonantibus incipiunt. Vnde ſi quæ aliæ dictiones incipiunt à quacunque harum conſonantium ſignificat, quod tales syllogiſmi ſunt reducendi ad illum modum primæ figurę, cui deſeruit dictio incipiens ab illa cõſonante. Verbi gratia. Cęſare quę deſeruit primo modo ſecundę figurę, incipit ab iſta conſonante C, & ſignificat quod talis modus per conuerſionem maioris reducitur ad ſecundum modum primę figurę, cui deſeruit dicto incipiens A, C, S, celarent, & ſic de ſingulis. In prędictis etiam

ſyllo-

ſyllogiſmis aliquando inuenitur iſta littera S, poſt vocalem; & ſignificat quod illa propoſitio, vel concluſio, cui deſeruit ſyllaba debet conuerti ſimpliciter. Aliquando vero inuenitur, P, & ſignificat quod illa propoſitio, vel concluſio cui deſeruit ſyllaba debet conuerti per accidens. Aliquando vero inuenitur, M, & ſignificat quod præmiſſę illius ſyllogiſmi debent transponi, vt de maiori fiat minor, & ę conuerſo. Aliquando inuenitur C, & ſignificat quod iſte ſyllogiſmus non poteſt reduci per conuerſionem, ſed ſolum per ſyllogiſmum conuerſiuum, & hoc ſolum accidit in duobus ſyllogiſmis, ſcilicet Barocco, & Brocardo, vt dictum eſt. Sciendum, quod prędictę regulę præterquam regula de littera C, intelliguntur ſolum de reductione ſyllogiſmorum facta per conuerſionem, & non de ea quę facta eſt per ſyllogiſmum conuerſiuum. Et ſic patet de ſyllogiſmis de ineſſe conuerſiuis.

CAPVT NONVM.

De inuentione medij termini, in ſyllogiſmis omnium figurarum tàm affirmatiuis, quàm negatiuis.

Scitis ſyllogiſmis, vt facilius poſſimus quacumque concluſionem concludere & ſyllogizare, ſciendum quod omnis concluſio in ſe continet ambas extremitates, vt dictum eſt: totus autem ſyllogiſmus ex tribus terminis fit. Habita ergo quacunque oratione concludenda ad complendum ſyllogiſmum, egemus vno termino, ſcilicet medio.

Qualiter autem talis medius terminus inueniatur, videamus. Vbi nota, quod Philoſophus primo priorum tribus vtitur nominibus terminorum, ſcilicet antecedente, conſequente, & repugnante. Dicitur autem terminus antecedens qui poteſt ſubijci, vt homo eſt antecedens ad animal, conſequens autem dicitur terminus, qui poteſt de alio prędicari, & ſic animal eſt conſequens ad hominem. Et quia termini conuertibiles inter ſe & ſubijci & prędicari poſſunt, vt proprium quod poteſt prędicari de ſpecie, & ſpecies de ipſo, & ſimiliter ſe habet de diffinitione, & diffinito, ideo vnus reſpectu alterius, & dicitur antecedens, & dicitur conſequens. Repugnans vero terminus dicitur, qui alteri ſubijci non poteſt, nec de eo prędicari, vt homo & aſinus, quorum neuter de altero poteſt prędicari, nec ſibi ſubijci.

3. Sciendum quod modi ſyllogiſmorum directè concludentium, vt dictum eſt, ſunt 14. ſcilicet quatuor in prima figura, quatuor in ſecunda, & ſex in tertia: quia de indirectè concludentibus hic non me intromitto.

In prima

In prima igitur figura ſunt duo modi affirmatiui directè concludentes, ſcilicet primus, & tertius, & duo negatiui, ſcilicet ſecundus, & quartus.

Ad inueniendum medium in affirmatiuis, conſiderandus eſt vnus terminus, qui ſit antecedens ad prædicatum, & conſequens ad ſubiectum. Verbi gratia. Si debet syllogizari hæc, ſcilicet omnis homo eſt ſubſtantia, iam habetur minor, & maior extremitas. Conſequens autem ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum eſt animal. ergo eſt medius terminus per hunc syllogiſmum in primo modo primæ figuræ ſic. Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal. ergo omnis homo eſt ſubſtantia: in tertio modo eiuſdem figuræ eſt medius terminus animal, & fiet ſyllogiſmus ſic. Omne animal eſt ſubſtantia, quidam homo eſt animal, ergo quidam homo eſt ſubſtantia.

In syllogiſmis vero negatiua eiuſdem figuræ ſumitur pro medio repugnans prædicato, & conſequens ad ſubiectum. Verbi gratia. Si debet concludi hæc; nullus homo eſt lapis. Vel quidam homo non eſt lapis, ſumatur pro medio animal. Repugnat enim animal lapidi, & poteſt prædicari de homine: fiat ergo syllogiſmus in ſecundo modo primæ ſic. Nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis. In quarto vero ſic, nullum animal eſt lapis, quidam homo eſt animal. ergo quidam homo non eſt lapis. Et ſic patet de inuentione medij termini in prima figura.

In ſecunda autem figura ſunt quatuor modi omnes negatiui, quorum primus, & tertius habent maiorem propoſitionem negatiuam, minorem vero affirmatiuam.

Secundus autem, & quartus è conuerſo maiorem habent affirmatiuam, minorem vero negatiuam, & ideo aliter vtrobique ſumitur medium. Vnde in primo, & tertio ſumitur pro medio repugnans prædicato, & conſequens ad ſubiectum. Verbi gratia. Si debet concludi iſta. Nullus homo eſt lapis, vel illa, quidam homo non eſt lapis; pro medio ſumatur alter, & syllogizetur in primo ſecundæ ſic. Nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis. In tertio modo ſic, nullus lapis eſt animal, quidam homo eſt animal, ergo quidam homo non eſt lapis.

In ſecundo vero, & quarto modo ſumatur pro medio conſequens ad prædicatum, & repugnans ſubiecto. Verbi gratia. Si debet concludi iſta. Nullus homo eſt lapis, vel iſta, quidam homo non eſt lapis, ſumatur pro medio inanimatum, quod poteſt prædicari de lapide, & repugnat homini, & syllogizetur in ſecundo modo ſic. Omnis lapis eſt inanimatum, nullus homo eſt inanimatus, ergo nullus homo eſt lapis. In

quarto modo ſic. Omnis lapis eſt inanimatus, quidam homo non eſt inanimatus, ergo quidam homo non eſt lapis. Et ſic patet de inuentione medij termini in ſecunda figura.

In tertia vero figura ſunt ſex modi omnes concludentes particulariter, quorum tres ſunt affirmatiuæ, & tres negatiuæ. In tribus affirmatiuis, ſcilicet primo, tertio, quarto, ſumitur pro medio antecedens ad vtrunque. Verbi gratia. Si debet concludi hæc in primo modo, ſcilicet quoddam animal eſt ſubſtantia, ſumatur pro medio homo, de quo animal, & ſubſtantia prædicari poſſunt, & ſyllogizetur ſic. Omnis homo eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt ſubſtantia.

In tertio modo ſic, quidam homo eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt ſubſtantia, in quarto vero ſic. Omnis homo eſt ſubſtantia, quidam homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt ſubſtantia. In tribus vero negatiuis ſumitur pro medio repugnans prædicato, & antecedens ad ſubiectum. Verbi gratia, ſi debet concludi hæc, quoddam animal non eſt lapis, ſumatur pro medio homo quod repugnat lapidi, de quo animal prædicatur, & ſyllogizetur etiam in ſecundo modo ſic. Nullus homo eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal non eſt lapis.

In quinto vero ſic. Quidam homo non eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal non eſt lapis. In ſexto autem ſic. Nullus homo eſt lapis, quidam homo eſt animal, ergo quoddam animal non eſt lapis. Et ſic patet de inuentione medij in tertia figura.

Notandum quod ad inueniendum cito antecedens, & conſequens termini conuertibiles poſſunt eſſe antecedens, & conſequens indifferenter; quia diffinitio & deſcriptio & interpretatio ſunt termini conuertibiles cum diffinito, deſcripto, & interpretato. Accipias terminum cuius vis inuenire antecedens, & conſequens, & diffinias ipſum, vel deſcribas, vel interpreteris, poſtmodum vtere regulis ſupradictis. Verbi gratia, ſi vis concludere in primo modo primæ figuræ iſtam, omne currens mouetur, vbi debes ſumere antecedens ad prædicatum, diffinias, vel deſcribas, vel interpreteris moueri quod deſcribitur ſic. Moueri eſt mutare locum in tempore, ſed omne currens mutat locum in tempore; ergo omne currens mouetur. Et ſic poteſt fieri de diffinitione, & interpretatione. Et ſic patet de inuentione medij in syllogiſmis de ineſſe oſtenſiuis.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

De differentia ſyllogiſmi ad impoſſibile ab oſtenſiuo.

DIcto de ſyllogiſmis oſtenſiuis, & de inuentione medij eorum, dicendum eſt de ſyllogiſmis ad impoſſibile. Dicitur enim ſyllogiſmus ad impoſſibile ab oſtenſiuo. Nam oſtenſiuus ex duabus præmiſſis veris concludit concluſionem veram. Syllogiſmus vero ad impoſſibile non ſic facit, ſed ex altera præmiſſarum falſa concludit falſum euidenter.

Deinde ex contradictione falſa concluſit iterum concludit contradictionem præmiſſæ falſæ. Verbi gratia, de vtroque. Dato quod aduerſarius diceret hanc propoſitionem falſam, ſcilicet, omnis homo currit, contra eam per ſyllogiſmum oſtenſiuum arguo ſic, quia ſumo duas præmiſſas veras, & concludo contradictionem propoſitionis prædictæ ſic. Nullum quieſcens currit, quidam homo quieſcit, ergo quidam homo non currit. Hæc concluſio contradicit propoſitioni aduerſarij quæ erat, omnis homo currit: & quia ſua eſt falſa, mea eſt vera, & è conuerſo.

Si vero volo eam reprobare per ſyllogiſmum ad impoſſibile, ſumo eam cum altera propoſitione vera, & facio eas præmiſſas alicuius ſyllogiſmi, & concludo concluſionem falſam euidenter, & aſſumo contradictorium iſtius concluſionis falſæ, & ex ea concludo contradictoriam falſæ præmiſſæ ſic. Omne currens mouetur, omnis homo currit, ergo omnis homo mouetur; ſed quidam homo non mouetur, ergo quidam homo non currit. Modo ex falſitate huius præmiſſæ oſtendo veritatem huius meæ propoſitionis, & ex iſtius veritate oſtendo falſitatem illius. Ratio enim veritatis iſtius vltimæ concluſionis ſyllogiſmi ad impoſſibile eſt: quia in ſyllogiſmis ordinatis in modo, & in figura nunquam concluſio erit falſa, niſi aliqua præmiſſarum fuerit falſa.

Concluditur autem primo oſtenſiuè concluſio falſa, ſcilicet, omnis homo mouetur, aliqua ergo præmiſſarum fuit falſa, non mea, ſcilicet, omne currens mouetur, ergo propoſitio aduerſarij, ſcilicet, omnis homo currit, eſt falſa, ergo eius contradictoria, ſcilicet, quidam homo non currit, quæ eſt vltima concluſio ſyllogiſmi ad impoſſibile ab oſtenſiuo eſt vera.

CAPVT VNDECIMVM.

De ſyllogiſmis ad impoſsibile, in quibus modis, & in quibus figuris fiant.

NVnc dicendum eſt in quibus figuris, & in quibus modis ſyllogiſmi ad impoſſibile poſſunt fieri. Vbi primo ſciendum, ſicut dictum eſt, quod concluſio ſyllogiſmi ad impoſsibile non eſt illa quæ per ſyllogiſmum oſtenſiuum primo falſæ concluditur, ſed quæ vltimo concluditur, ſcilicet contradictoria præmiſſæ aduerſarij falſæ. Debet autem ſemper eſſe contradictoria, & non contraria, quia vt ſupra in alio tractatu dictum eſt, lex contradictoriarum talis eſt, quod ſi vna eſt vera, reliqua eſt falſa, & non è conuerſo. Vnde ſi præmiſſa aſſumpta aduerſarij quæ eſt falſa, ſemper ſequitur, ſi concluſio ſyllogiſmi ad impoſſibile eſt ſibi contradictoria quod ſit vera.

Si vero eſſet ſibi contraria quantumcunque illa foret falſa, non tamen neceſſario ſequeretur iſtam eſſe veram. Duæ enim contrariæ poſſunt ſimul eſſe falſæ, vt ſupradictum eſt.

Secundum ergo dicta cum in prima figura nullus ſyllogiſmus ſit qui habeat aliquam præmiſſarum particularem negatiuam, concluſio in prima figura non poterit concludi per impoſſibile, ſed vniuerſalis.

Quia vero in primo modo primę figuræ ambæ præmiſſæ ſunt vniuerſales affirmatiuæ, quarum oppoſitæ ſunt particulares negatiuæ, ideo in ea non poteſt concludi niſi particularis negatiua, ſi ſumatur primo maior falſa, ſcilicet; Omnis homo eſt lapis, omne riſibile eſt homo, ergo omne riſibile eſt lapis, ſed quoddam riſibile non eſt lapis: ergo quidam homo non eſt lapis. Si ſumatur minor falſa, idem ſequitur ſic. Omne riſibile eſt homo, omnis lapis eſt riſibilis, ergo omnis lapis eſt homo, ſed quidam lapis non eſt homo, ergo quidam lapis non eſt riſibilis.

In ſecundo vero modo primę figurę poteſt concludi particularis affirmatiua, & particularis negatiua ſic. Nullus homo eſt animal, omne riſibile eſt homo, ergo nullum riſibile eſt animal, ſed quoddam riſibile eſt animal, ergo quidam homo eſt animal: particularis negatiua ſic. Nullus homo eſt lapis, omnis margarita eſt homo; ergo nulla margarita eſt lapis, ſed quædam margarita eſt lapis; ergo quędam margarita non eſt homo.

In tertio vero modo primę figurę concluditur per impoſſibile particularis negatiua, & vniuerſalis negatiua. Particularis negatiua ſic. Omnis homo eſt lapis, quoddam riſibile eſt homo; ergo quoddam riſibile

ſibile eſt lapis, ſed nullum riſibile eſt lapis; ergo quidam homo non eſt lapis. Vniuerſalis negatiua ſic. Omnis homo eſt animal, quidam lapis eſt homo; ergo quidam lapis eſt animal, ſed nullus lapis eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo.

In quarto vero modo concluditur particularis affirmatiua ſic. Nullum animal eſt ſubſtantia, quidam homo eſt animal; ergo quidam homo non eſt ſubſtantia, ſed omnis homo eſt ſubſtantia; ergo quoddam animal eſt ſubſtantia: Vniuerſalis vero negatiua ſic. Nullum animal eſt lapis, quædam margarita eſt animal; ergo quædam margarita non eſt lapis, ſed omnis margarita eſt lapis; ergo nulla margarita eſt animal. Et ſic patet de ſyllogiſmis ad impoſſibile, qui poſſunt fieri in prima figura. Et eodem modo poſſunt fieri in alijs duabus figuris, vt ſcilicet ex oppoſito falſæ concluſionis inferatur oppoſitum falſæ præmiſſæ, oppoſitum, ſcilicet falſæ præmiſſæ quod eſt contradictorium eius.

Vnde quia in primo modo, & ſecundo modo ſecundæ figuræ præmiſſæ ſunt vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua, quarum oppoſitæ ſunt particularis negatiua, & particularis affirmatiua; ergo in eis poteſt concludi per ſyllogiſmum ad impoſſibile particularis affirmatiua, & particularis negatiua. Particularis affirmatiua: ſi ſumatur maior falſa: negatiua vero ſi ſumatur minor falſa. Et ſic fiat in omnibus alijs modis tam ſecundæ, quàm tertiæ figuræ.

Sciendum quod vniuerſalis affirmatiua per impoſſibile non poteſt concludi, niſi in quarto modo ſecundæ figuræ, & in quinto tertiæ, in his videlicet modis de quibus ſupradictum eſt, quod per conuerſiones propoſitionum non poterant reduci ad modos primæ figuræ. Et cauſa eſt, quia ſolum iſti duo modi habent præmiſſam particularem negatiuam, & non alij, & dico de ſyllogiſmis directè concludentibus. Ponamus exemplum de vtroque modo qualiter in eis concludatur per impoſſibile vniuerſalis affirmatiua in quarto modo ſecundæ figuræ ſic. Omnis homo eſt animal, quoddam riſibile non eſt animal; ergo quoddam riſibile non eſt homo: ſed omne riſibile eſt homo, ergo omne riſibile eſt animal. In quinto modo tertiæ figuræ ſic. Quidam homo non eſt animal, omnis homo eſt riſibilis; ergo quoddam riſibile non eſt animal; ſed omne riſibile eſt animal; ergo omnis homo eſt animal.

Notandum, quod Philoſophus ſecundo priorum facit ſolum vnam præmiſſam falſam in quolibet modo omnium figurarum, & concludit per ſyllogiſmum ad impoſſibile in quolibet ſolum vnam concluſionem, & tamen nos in quolibet modo dicimus vtramque falſam, &

concludemus per impoſſibile oppoſitam vtriuſque.

Notandum quod in prima, & ſecunda figura magis congrue ponitur minor falſa: quia quod ſubijcitur in oppoſita concluſionis falſæ, ſubijcitur poſtea in concluſione ſyllogiſmi ad impoſſibile. Verbi gratia in prima figura ſic. Omnis homo eſt animal, omnis lapis eſt homo; ergo omnis lapis eſt animal: ſed quidam lapis non eſt animal; ergo quidam lapis non eſt homo: modo lapis eſt ſubiectum in oppoſita concluſionis falſæ, & in concluſione vltima: ſi vero ponitur maior falſa, colorari poteſt, vt dictum eſt, & communiter ſic vtimur. Patet ergo qui ſyllogiſmi ad impoſſibile, & in quibus modis, & figuris fiant.

CAPUT DUODECIMUM.

De ſyllogiſmis ad impoſſibile qualiter reducantur ad ſyllogiſmos oſtenſiuos.

ET quia omnes ſyllogiſmi ad impoſſibile reducuntur ad ſyllogiſmos oſtenſiuos, ideo videndum eſt qualiter id fiat. Sciendum, quod ſyllogiſmi qui fiunt ad impoſſibile in prima figura, ſunt oſtenſiui in ſecunda, & tertia figura. Si enim concluditur oppoſita maioris propoſitionis falſæ; fit ſyllogiſmus oſtenſiuus in tertia figura ſic. Verbi gratia, in primo modo primæ figuræ quando concluditur oppoſitum maioris ſic. Omnis homo eſt lapis, omne riſibile eſt homo, ergo omne riſibile eſt lapis, ſed quoddam riſibile non eſt lapis, ergo quidam homo non eſt lapis. Hanc concluſionem, ſcilicet, quidam homo non eſt lapis, quatuor enuntiationes præceſſerunt, quarum duæ fuerunt falſę, ſcilicet maior, & concluſio illius ſyllogiſmi oſtenſiui, duæ vero fuerunt veræ, ſcilicet minor illius ſyllogiſmi, & oppoſita concluſionis. Et his duabus veris in tertia figura ſequitur prędicta concluſio, ſcilicet, quidam homo non eſt lapis: ita quod oppoſita concluſionis fiat maior, & minor ſyllogiſmi oſtenſiui remaneat minor ſic. Quoddam riſibile non eſt lapis, omne riſibile eſt homo, ergo quidam homo non eſt lapis: hic eſt quintus modus tertiæ figurę.

Quando vero per impoſſibile concluditur oppoſitum minoris fit ſyllogiſmus oſtenſiuus in ſecunda figura. Verbi gratia. Sit ſyllogiſmus ad impoſſibile iſte; Omnis homo eſt animal, omnis lapis eſt homo; ergo omnis lapis eſt animal; ſed quidam lapis non eſt animal, ergo quidam lapis non eſt homo. Auferantur duæ falſæ, ſcilicet minor, & concluſio ſyllogiſmi oſtenſiui, & fiat ſyllogiſmus in quarto modo ſecundæ figuræ ſic. Omnis homo eſt animal, quidam lapis non eſt animal;

animal, ergo quidam lapis non eſt homo. Et ſic fit in alijs modis primæ figuræ, vt videlicet ſi in ſyllogiſmo ad impoſſibile concluditur oppoſitum maioris; reducitur ad tertiam figuram, oppoſita concluſionis exiſtente maiori, & cum minori vera.

Si vero concluditur oppoſitum minoris, fit talis ſyllogiſmus oſtenſiuus in ſecunda figura, ita quod oppoſitum concluſionis ſit minor propoſitio, & maior vera remaneat maior. Syllogiſmi vero ad impoſſibile quæ fiunt in ſecunda figura ſunt oſtenſiui in prima figura, & in tertia.

Si enim concluditur per impoſſibile oppoſitum maioris, fit oſtenſiuus in tertia figura. Verbi gratia, ſit ſyllogiſmus ad impoſſibile iſte. Nullus homo eſt animal: omne riſibile eſt animal; ergo nullum riſibile eſt homo: ſed quoddam riſibile eſt homo; ergo quidam homo eſt animal. Auferantur falſæ, & fiat ſyllogiſmus in quarto modo tertiæ figuræ. Omne riſibile eſt animal; quoddam riſibile eſt homo; ergo quidam homo eſt animal. Sciendum quod quando in prima figura ſyllogiſmus ad impoſſibile concludebat oppoſitũ maioris reducebatur, & fiebat ſyllogiſmus oſtenſiuus in tertia figura, & oppoſitum concluſionis primi ſyllogiſmi oſtenſiui fiebat maior in ſecundo ſyllogiſmo, & minor eiuſdem ſyllogiſmi remanebat minor in ſecundo ſyllogiſmo. Sed hic non fit ita, ſed minor primi ſyllogiſmi fit maior in ſecundo ſyllogiſmo.

Si vero concluditur per impoſsibile oppoſitum minoris fit ſyllogiſmus oſtenſiuus in prima figura ſic. Nullus homo eſt lapis, omne riſibile eſt lapis; ergo nullum riſibile eſt homo, ſed quoddam riſibile eſt homo; ergo quoddam riſibile non eſt lapis. Auferantur omnes falſæ, & fiat ſyllogiſmus in quarto modo primæ figuræ ſic. Nullus homo eſt lapis, quoddam riſibile eſt homo; ergo quoddam riſibile non eſt lapis.

Eodem modo ſyllogiſmi oſtenſiui aliorum modorum ſecundæ figuræ. Vnde ſi maior eſt falſa, & minor vera, tunc minor fit maior, & oppoſitum concluſionis fit minor. Si vero maior ſit vera, & minor falſa, tunc maior remanet maior, & oppoſitum concluſionis fit minor.

Syllogiſmi vero ad impoſsibile qui ſunt in tertia figura ſunt oſtẽſiui in prima figura, & ſecũda. Vnde ſi per impoſsibile cõcluditur oppoſitũ maioris; fit oſtensiuus in prima figura, ita videlicet quod oppoſitũ cõclusionis primi ſyllogiſmi fiat maior propoſitio in ſecundo ſyllogiſmo, & minor quæ fuit vera remaneat minor ſic. Omnis homo eſt lapis, omnis homo eſt riſibilis; ergo quoddã riſibile eſt lapis, ſed nullũ riſibile eſt lapis; ergo quidam homo nõ eſt lapis, fiat autem oſtensiuus in prima figura

gura

gura ſic. Nullũ riſibile eſt lapis, omnis homo eſt riſibilis; ergo nullus homo eſt lapis. Ad vniuerſalem veram benè ſequitur ſua particularis vera. Vnde ſi hæc eſt vera, nullus homo eſt lapis, quæ eſt concluſio iſtius ſyllogiſmi, erit etiam hæc vera, quidam homo non eſt lapis; quæ fuit concluſio ſyllogiſmi ad impoſsibile.

Si vero per impoſsibile concluditur oppoſita minoris fiet ſyllogiſmus, in ſecunda figura oſtenſiuus, ita quod oppoſita concluſionis primi ſyllogiſmi fiet maior in ſecundo ſyllogiſmo, & maior primi ſyllogiſmi fiet minor ſic. Omnis homo eſt animal, omnis homo eſt lapis; ergo quidam lapis eſt animal, ſed nullus lapis eſt animal; ergo quidam homo non eſt lapis. Fiat ergo ſyllogiſmus oſtenſiuus ſic. Nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis: Ad quam ſequitur, quidam homo non eſt lapis.

Eodem modo fiat in alijs modis tertiæ figuræ, & ſic patet de ſyllogiſmis ad impoſsibile. Sciendum, quod Philoſophus in libro priorum multa alia genera ſyllogiſmorum ponit, ſcilicet irregulares, conuerſiuos, ex oppoſitis, & multa alia. Sed quia ſolùm iſta duo genera ſyllogiſmorum de ineſſe apud modernos ſunt in vſu, de alijs non me intromiſi. Patet ergo de ſyllogiſmis de ineſſe, &c.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De ſyllogiſmis modalibus quantum ad propoſitiones de neceſſario.

NVnc dicendum eſt de ſyllogiſmis modalibus. Vbi ſciendum, quòd quia eodem modo ſumuntur propoſitiones de neceſſario, & impoſsibili, & illæ de poſsibili, & contingenti, vt ſupra in tractatu de conuerſionibus dictum eſt, ideo duobus modis fiunt ſyllogiſmi modales inter ſe differentes.

Primo dicemus de ſyllogiſmis de neceſſario, ad quos reduci poſſunt illi de impoſsibili. Secundo de ſyllogiſmis de contingenti, ad quos reducuntur illi de poſsibili contingenter ſumpto. Sciendum, quòd ſyllogiſmi de neceſſario aliqui habent ambas propoſitiones neceſſarias, & tunc in quacunque figura, vel modo fiant, ſemper concluſio, eſt neceſſaria. Verbi gratia. Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal; neceſſe eſt omne riſibile eſſe hominem; ergo neceſſe eſt omne riſibile eſſe animal, & ſic de ſingulis, &c.

Notandum, quod duplex eſt neceſſarium, ſcilicet neceſſarium ſimpliciter, quando aliquid ineſt alicui ſimpliciter, & non ſecundum ali-

quod

quod tempus, vel locum, vel huiuſmodi, ſicut neceſſarium eſt hominem eſſe animal. Aliud eſt neceſſarium ſecundum quid, vel ſecundum tempus, ſicut dicimus quòd omne quod eſt quando eſt, neceſſe eſt eſſe, vel ſecundum locum, vel ſecundum aliquod huiuſmodi. Et iſto modo non ſumitur propoſitio neceſſaria. Sortes enim quando currit, neceſſario currit, & tamen hæc propoſitio, Sortes currit, non eſt neceſſaria, ſed contingens.

Si vero ſyllogiſmi de neceſſario alteram propoſitionem habent neceſſariam, & alteram de ineſſe: licet ſemper concludant maiorem extremitatem ineſſe minori, non tamen ſemper concludunt ex neceſſitate: ſed quandoque ſic: & quandoque non. Vbi nota, quod in prima figura maiori propoſitione exiſtente neceſſaria, & minori de ineſſe: ſequetur ſemper concluſio neceſſaria. Maiori vero exiſtente de ineſſe; quantumcunque minor ſit neceſſaria; non tamen concluſio erit neceſſaria; quia inueniuntur termini vbi eſt ſic, & vbi non eſt ſic. Verbi gratia: Omnis homo eſt animal, omne riſibile neceſſario eſt homo; ergo omne riſibile neceſſario eſt animal. Iſti autem ſunt termini vbi ſic.

Termini vero vbi non ſunt iſti. Omnis homo eſt albus: omne riſibile neceſſario eſt homo; ergo omne riſibile neceſſario eſt album. Hæc autem concluſio non eſt neceſſaria ſimpliciter. Et ſic eſt de alijs modis primæ figuræ, tàm affirmatiuis, quàm negatiuis.

In ſecunda vero figura in tribus primis modis negatiuis propoſitione exiſtente neceſſaria ſiue ſit maior, ſiue ſit minor, concluſio erit neceſſaria, ipſa exiſtente de ineſſe. Affirmatiua vero exiſtante neceſſaria, & negatiua de ineſſe, non ſequitur concluſio neceſſaria. Et hoc clarè poteſt apparere reducendo prædictos ſyllogiſmos ad modos primæ figuræ. Nam ſemper in ſyllogiſmis reductis, negatiua erit maior. In prima autem figura, vt dictum eſt, ſi maior eſt neceſſaria, & conclnſio: si vero non, nec concluſio. In quarto vero modo ſecundę figuræ quacumq; propoſitione neceſſaria ſiue affirmatiua, ſiue negatiua; dummodò altera ſit de ineſſe, non ſemper ſequitur concluſio neceſſaria. Nam ſi vniuerſalis affirmatiua non erit neceſſaria, in eiſdem terminis, fiet ſyllogiſmus in quibus fiet ſecundus modus eiuſdem figuræ vniuerſali affirmatiua exiſtente neceſſaria; ſed vt dictum eſt, si affirmatiua eſt neceſſaria, non ſequitur concluſio neceſſaria, quod patet per reductionem eius ad ſecundum modum primæ figuræ, ergo nec hic ſequitur.

Si vero particularis negatiua eſt neceſſaria: non ſequitur ſemper concluſio neceſſaria, vt patet in his terminis, ſcilicet, Omne album eſt ho-

eſt homo, quidam asinus neceſſario non eſt homo, tamen non ſequitur. ergo quidam asinus neceſſario non eſt albus. In tertia vero figura ſunt syllogiſmi affirmatiui, & ſunt negatiui.

Affirmatiuorum autem quidam habent ambas propoſitiones vniuerſales: quidam vero alteram. Qui habent ambas propositiones vniuarſales, quacunque earum exiſtente neceſſaria, siue maiori, siue minori, ſequitur concluſio neceſſaria, quod patet per reductionem eius ad primam figuram.

Qui vero habent alteram vniuerſalem, ea exiſtente neceſſaria siue maiori, siue minori, ſequitur concluſio neceſſaria. Si vero particularis sit neceſſaria, non ſequitur concluſio neceſſaria, quia ſi reducitur ad primam figuram, maior eſt de ineſſe: vbi, vt dictum eſt, non ſequitur concluſio neceſſaria.

Negatiuorum vero quidam habent propoſitionem negatiuam vniuerſalem, quidam autem particularem. Vnde qui habent propoſitionem negatiuam vniueſalem, ea exiſtente neceſſaria non ſequitur concluſio neceſſaria. Qui vero habent negatiuam particularem, & affirmatiuam vniuerſalem, quacumque earum exiſtente neceſſaria, non ſequitur concluſio neceſſaria. Verbi gratia sic. Quidam homo non vigilat, omnis homo neceſſario eſt animal; ergo quoddam animal neceſſario non vigilat, & hoc eſt affirmatiua exiſtente neceſſaria. Negatiua autem exiſtente neceſsaria sic. Quoddam album neceſsario non eſt animal, omne album vigilat, non ſequitur; ergo quoddam vigilans neceſsario non eſt animal, cum omne vigilans neceſsario sit animal. Et sic patet de ſyllogiſmis modalibus de neceſſario.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De ſyllogiſmis contingentibus.

Sequitur de syllogiſmis contingentibus. Vbi nota quod duplex eſt contingens, ſcilicet contingens, quod ineſt, & contingens quod poteſt ineſse. Dicitur autem hic contingens quod ineſt, quando prædicatum licet non sit de eſsentia ſubiecti, vel proprium eius, tamen eſt terminus, qui poteſt prædicari, & negari de ſubiecto, licet nunc actu de eo prædicetur. Et talis propoſitio licet ſit de materia contingenti, tamen dicitur de contingenti quod ineſt.

Contingens autem, quod poteſt ineſse, dicitur cum prædicatum eſt de contingenti, sicut de albo reſpectu hominis, tamen in propoſitione

tione non dicitur actu ineſſe, ſed poſsibiliter, vt cum dico, contingit hominem eſſe album, non eſt ſenſus, quod homo ſit albus, ſed quod homo poteſt eſſe albus. Sciendum, quod in prima figura vtraque propoſitione exiſtente de contingenti, etiam concluſio erit de contingenti ſic. Contingit omne album eſſe muſicum, contingit omnem hominem eſſe album; ergo contingit omnem hominem eſſe muſicum. Et ſic de alijs modis.

In ſecunda vero figura, ſi ambæ propoſitiones ſunt de contingenti, ſiue ſint affirmatiuæ, ſiue altera earum ſit negatiua, ſiue ſint vniuerſales, ſiue altera earum ſit particularis, nunquam concluſio erit de contingenti. Verbi gratia. Contingit nullum hominem eſſe album; contingit omne riſibile eſſe album; ergo contingit nullum riſibile eſſe hominem, non ſequitur, quia neceſſe eſt omne riſibile eſſe hominem, & ſic de omnibus alijs.

In tertia vero figura, præmiſſis exiſtentibus de contingenti ſiue ſint affirmatiuæ, ſiue altera earum ſit negatiua, ſiue vniuerſales, ſiue particulares, ſemper ſequitur concluſio de contingenti; vt: Contingit omnem hominem eſſe album, contingit omnem hominem eſſe muſicum; ergo contingit muſicum eſſe album, & ſic eſt in alijs modis. Si vero altera præmiſſarum ſit de contingenti, & altera de ineſſe, non ſemper ſequitur concluſio de contingenti. Vnde in prima figura maiori exiſtente de contingenti, ſiue ſit affirmatiua, ſiue negatiua, minori vero de ineſſe ſimpliciter, ſemper ſequitur concluſio de contingenti. Vt contingit omnem hominem eſſe album: omne riſibile eſt homo; ergo contingit omne riſibile eſſe album. Maiori vero exiſtente de ineſſe, & minori de contingenti, non ſemper ſequitur concluſio de contingenti, vt perfectius ſit ſyllogiſmus ſic. Omne ſanum eſt animal; contingit omnem equum eſſe animal.

Sciendum, quia in qualibet propoſitione de contingenti poteſt ſaluari dupliciter dici de omni ſecundum duplicem eius ſenſum ſupradictum. Vnde cum dico, contingit omnem hominem eſſe album, comparo hominem ad dici, de quibus poteſt prædicari, vel ſecundum eſſe ipſius albi, vt ſit ſenſus, omne quod eſt homo, contingit actu eſſe album. Vel ſecundum poſſibilem inhærentiam, vt ſit ſenſus, omne quod eſt homo, contingit poſſe eſſe album. Propoſitio de ineſſe habet ſolum vnum dici de omni, ſcilicet ſecundum comparationem ſubiecti ad ſua inferiora ſecundum actualem inhærentiam prædicati, & ex his ſequitur, quod virtute dici de omni illa de ineſſe poteſt ſumi ſub illa de contingenti.

Vnum enim dici de omni ſub duobus, quia ad minus in vno eſt

conſequentiæ. Sed illa de contingenti non poteſt ſumi ſub illa de ineſſe. Duo enim dici de omni non continetur ſub vno. Et iſta eſt cauſa quare maior exiſtente de contingenti, minori vero de ineſſe non ſequitur concluſio de contingenti virtute syllogiſtica, licet ſequatur gratia materiæ. Sciendum, quod propoſitio de ineſſe eſt duplex, ſcilicet de ineſſe vt nunc ſcilicet quando prædicatum vt nunc ſolum ineſt ſubiecto, vt Sortes currit, & de ineſſe ſimpliciter. Vnde ad hoc quod ſequatur concluſio de contingenti, minori exiſtente de ineſſe, debet eſſe de ineſſe ſimpliciter, quia prrædicatum ſemper ſequitur ſubiectum: ideo ſequitur quod quicquid contingit prædicato, contingit ſubiecto. Sed quia in propoſitione de ineſſe, vt nunc, prædicatum non ſemper ſequitur ſubiectum, non erit ſemper verum quod quicquid contingit prædicato, contingit ſubiecto. Nec eſt inſtantia quod ſi minor eſſet de contingenti, quæ tantum valet, quantum illa de ineſſe, vt nunc, & maior, eſſet de contingenti, ſequitur concluſio. Nam ſi minor eſt de contingenti, ſemper prædicatum contingit ſubiecto, nam hæc, contingit hominem currere, ſemper eſt vera, quia ſemper contingit hominem currere, tamen iſta homo non currit, non ſemper eſt vera: ideo aliter ſe habet de vtralibet.

In ſecunda autem figura in tribus primis modis negatiua exiſtente de contingenti, affirmatiua vero de ineſſe, non fit syllogiſmus. Et cauſa eſt, quia omnes syllogiſmi in tantum concludunt, inquantum reducuntur ad primam figuram, vbi eſt dici de omni, & dici de nullo: tales autem syllogiſmi non poſſunt reduci ad primam figuram. Non enim conuertitur vniuerſalis negatiua de contingenti, vt de ſubiecto fiat prædicatum, & de prædicato fiat ſubiectum, vt ſupradictum eſt, ſed conuertitur in terminis. Vnde hæc, contingit nullum hominem eſſe album, conuertitur in hanc contingit omnem hominem eſſe album. Vnde ſecundum hoc vniuerſali negatiua exiſtente de contingenti in tribus, videlicet modis, non fit syllogiſmus, quia non poteſt probari per dici de omni. Affirmatiua vero exiſtente de contingenti, & negatiua de ineſſe, fit syllogiſmus, quia poteſt reduci talis syllogiſmus ad primam figuram, per propoſitionem negatiuam ſimiliter conuerſam, tamen non erit concluſio de contingenti, vt ſupradictum eſt.

In quarto autem modo, nullo modo fit syllogiſmus, ſiue maior ſiue minor ſit de contingenti. Talis enim syllogiſmus non poteſt reduci ad primam figuram per conuerſionem, ſed per syllogiſmum conuerſiuum, ſed quacunque exiſtente de contingenti, & altera de ineſſe, non poteſt fieri talis reductio, ergo ex eo nihil ſequitur.

Quòd

Quòd autem maiori exiſtente de contingenti talis reductio fieri non poſſit patet, fit talis ſyllogiſmus. Contingit omnem hominem eſſe album, quidam lapis non eſt albus; ergo quidam lapis non eſt homo, cuius oppoſitum eſt, omnis lapis eſt homo, fiat ergò ſyllogiſmus in prima figura ſic. Contingit omnem hominem eſſe album, omnis lapis eſt homo; ergo contingit omnem lapidem eſſe album. Sed hæc non opponitur huic, quidam lapis non eſt albus, quæ erat minor. Nam vt dictum eſt, in propoſitione de contingenti ſaluatur dici de omni ſecundum poſſibilem inhærentiam: In futuro enim poſſet eſſe verum, quod omnis lapis fieret albus, & quod modo quidam lapis non ſit albus, & ſic iſto modo non valet coniugatio. Apparet etiam quod talis ſyllogiſmus non valet: Nam propoſitionibus exiſtentibus veris, aliquando ſequitur concluſio falſa ſic. Contingit omnem hominem eſſe album, quoddã riſibile non eſt album, ſequitur; ergo contingit quoddam riſibile non eſſe hominem, quod eſt ſimpliciter falſum.

Similiter ſi minor eſt de contingenti nihil ſequitur, & fit ſyllogiſmus ſic. Omnis homo eſt animal, contingit quoddam album non eſſe animal; ergo contingit quoddam album non eſſe hominem, vt puta ouum, quod eſt album, contingit quod aliquando erit animal, aliquando non erit, ſi ſequitur hæc de ineſſe, ſcilicet quoddam album non eſt homo, non tenet. Oppoſita enim eius eſt, omne album eſt homo; ergò omne album eſt animal, quæ non opponitur huic, contingit quoddam album non eſſe animal, vt ſupradictum eſt. Si vero ſumatur concluſio de contingenti, ſcilicet, Contingit quoddam album non eſſe animal, cuius oppoſita eſt. Neceſſe eſt omne album eſſe animal, idem ſequitur, & fiat ſyllogiſmus in prima figura ſic. Omnis homo eſt animal: neceſſe eſt omne album eſſe hominem, ſequitur; ergò omne album eſt animal, vt ſupra de miſtionibus neceſſarij, & de ineſſe dictum eſt, quæ non opponitur illi minori, ſcilicet, contingit quoddam album non eſſe animal, & ſic eſt inutilis coniugatio.

In tertia vero figura maiori exiſtente de contingenti, minori vero de ineſſe, ſequitur concluſio de contingenti. Nam conuerſa minori in quinque modis ſyllogiſmorum fit reductio ad primam figuram. Verbi gratia fiat ſyllogiſmus ſic. Contingit omnem hominem eſſe album; omnis homo eſt animal; ergo contingit quoddam animal eſſe album, conuerſa minori per accidens, fit tertius modus primæ figuræ ſic. Contingit omnem hominem eſſe album: omne animal eſt homo: ergo contingit quoddam animal eſſe album, & ſic eſt de alijs quatuor modis.

Quintus autem modus tertiæ figuræ reducitur ad primam per ſyl-

logiſmum conuerſiuum ſic: Contingit quendam hominem non eſſe album: omnis homo eſt animal; ergo contingit quoddam animal non eſſe album. Cuius oppoſitum eſt, neceſſe eſt omne animal eſſe album, deinde ponatur ſub ea minor primi syllogiſmi, ſcilicet, omnis homo eſt animal, & ſequitur; ergo neceſſe eſt omnem hominem eſſe album, quæ eſt contradictoria maioris primi syllogiſmi. Et ſic patet de miſtione propoſitionum de contingenti, & de ineſſe in tribus figuris, &c.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De miſtione contingentis, & neceſſarij in tribus figuris ſyllogiſmorum.

SEquitur de miſtione contingentis, & neceſſarij. Notandum, quod in prima figura quantum ad modos affirmatiuos, maiori exiſtente de contingenti, minori vero de neceſſario ſyllogiſmus erit perfectus, & concludet concluſionem de contingenti. Verbi gratia, Contingit omne animal eſſe album, neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal; ergo contingit omnem hominem eſſe album. Si verò ſit è conuerſo, ſcilicet maiori exiſtente de neceſſario, & minori de contingenti, nullus fiet ſyllogiſmus. Cauſa eſt quia propoſitio neceſſaria haberet vnum dici de omni ſecundum ſcilicet actualem inhærentiam prædicati ad ſubiectum, & ad contenta ſub eo; ſed illa de contingenti habet duplex dici de omni, vt ſupra dictum eſt; non ergo poteſt illa ſumi ſub illa de neceſſario per virtutem principij, quod eſt dici de omni. Sciendum, quod in prædicto ſyllogiſmo licet concludatur per dici de omni, poteſt tamen concludi concluſio de contingenti de poſſibili, quod ſcilicet communiter ſe habet ad neceſſarium, & contingens in virtute iſtius regulæ: Si aliquod ſubiectum ſit eſſentialiter ſub aliquo prædicato, quicquid contingit ſub ſubiecto, contingit ſub prædicato.

In ſyllogiſmis autem negatiuis propoſitione affirmatiua exiſtente neceſſaria, negatiua vero de contingenti, ſequitur concluſio de contingenti ſic. Contingit nullum hominem eſſe album: neceſſe eſt omne riſibile eſſe hominem, ſequitur: ergo contingit nullum riſibile eſſe album. Si vero propoſitio negatiua ſit neceſſaria, affirmatiua vero contingens, ſequuntur duæ concluſiones, ſcilicet aliquando de contingenti, aliquando de ineſſe, quod poteſt patere. Nam ex oppoſito vtriuſque concluſionis, cum altera præmiſſarum, infertur oppoſitum alterius præmiſſæ. Ratio autem quare vtraque concluſio ſe-

quatur ad vnam negatiuam de neceſsario eſt, quia non ſolum prædicatum non dicitur ineſſe ſubiecto, ſed nec etiam poteſt ineſſe. Vnde ſyllogiſmus ſignificat, quod ſubiecto non inſit prædicatum, nec poſſit ineſſe. Vnde cum aliquid contingenter ponitur ſub tali ſubiecto, ſignificatur, quod tale prædicatũ remoueatur actu ab eo, quod contingenter ponitur ſub ſubiecto, & ſic erit concluſio de contingenti, quia quod actu contingenter remouetur, facit enuntiationem contingentem, & ſignificatur, quod nullo modo poſſit ſibi ineſſe, & ſic non ſolum contingenter non ineſt, immo nullo modo ineſt ei, ſi ſit enuntiatio de ineſſe.

In ſecunda autem figura in tribus primis modis negatiua exiſtente de neceſſario, affirmatiua vero de contingenti, ſequitur etiam duplex concluſio, ſcilicet de contingenti, & de ineſſe, quia per conuerſionem propoſitionis neceſſariæ reducuntur ad primam figuram.

In quarto vero modo affirmatiua exiſtente de contingenti, negatiua vero de neceſſario, vel è conuerſo, inutilis erit coniugatio.

In tertia vero figura quantum ad ſyllogiſmos affirmatiuos vniuerſales propoſitiones, vel aliquam vniuerſalem habentes, maiori exiſtente de contingenti, minori vero de neceſſario, ſequitur concluſio de contingenti. Conuerſa ergo minori fit ſyllogiſmus in prima figura. Si autem maior ſit de neceſſario, minor vero de contingenti poſſibili, quia propoſitiones de contingenti poſſibili conuertuntur, ſicut ille de neceſſario, minori conuerſa fit prima figura, ſicut dictum eſt, quod maiori exiſtente de neceſſario, maior vero de contingenti, ſequitur concluſio de contingenti poſſibili, licet non per dici de omni, ſed per primam regulam.

Quantum autem ad ſyllogiſmos affirmatiuos habentes aliquam præmiſſam particularem, ſi maior eſt vniuerſalis, ſequitur regulas prædictas. Si vero maior eſt particularis, ſequitur ſecundam regulam.

Quantum autem ad ſyllogiſmos negatiuos, dico quod quantum ad duos modos habentes maiorem vniuerſalem negatiuam, maiori exiſtenti de contingenti, minori vero de neceſſario, ſequitur concluſio de contingenti, & reducuntur ad primam figuram per conuerſionem minoris. Si autem maior erit de neceſſario, minor vero de contingenti, non fit ſyllogiſmus; non enim poſſet reduci ad primam figuram. Si vero minor eſſet de contingenti poſſibili, quia conuerti poſſet, ſicut illa de neceſſario, fieret ſyllogiſmus in prima figura, vbi concluderetur duplex concluſio, ſcilicet de ineſſe, & de contingenti, vt ſupra dictum eſt.

Syllo-

Syllogiſmus autem negatiuus, cuius maior eſt particularis negatiua, ea exiſtente de contingenti, & minori exiſtente de neceſſario, ſequitur concluſio de contingenti, & reducitur ad primam figuram per ſyllogiſmum conuerſiuum, maiori vero exiſtente de neceſſario, non fit ſyllogiſmus. Et ſic patet de ſyllogiſmis modalibus.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De ſyllogiſmis conditionalibus ex propoſitionibus ſimplicibus.

Dicto de ſyllogiſmis cathegoricis, nunc dicendum eſt de hypotheticis. Vt autem ſupradictum eſt, tres ſunt ſpecies propoſitionum hypotheticarum, ſcilicet conditionalis, copulatiua, & diſiunctiua. Syllogiſmi autem, qui ſunt ex propoſitionibus copulatiuis, eodem modo ſe habent, ſicut & ſyllogiſmi cathegorici, & ideo de eis prætermittamus. Sed quia ex propoſitionibus conditionalibus, & disiunctiuis aliter fiunt ſyllogiſmi quam in propoſitionibus cathegoricis, ideo de eis dicendum eſt, & primo de conditionalibus.

Notandum, quod propoſitiones conditionales, vel ſunt ſimplices, vel compoſitæ. Dico autem ſimplices, quæ tantum ex duabus cathegoricis componuntur, vt hæc, ſi eſt homo, eſt animal. Compoſitæ autem ſunt, quæ ex pluribus componuntur, vt hæc, ſi eſt homo, cum ſit animal, eſt ſubſtantia. Hæ autem compoſitæ tribus modis fieri poſſunt: quia vel erit propoſitio compoſita ex duabus conditionali, & cathegorica, vt hic, ſi eſt homo, cum ſit animal, eſt ſubſtantia: vel è conuerſo, erit compoſita ex cathegorica, & conditionali ſic ſi tu es animatum, tu es homo, aut es animal: vel erit compoſita ex duabus conditionalibus, vt hic, ſi eſt homo eſt animatum, ſi eſt animal. Et quia ſyllogiſmi qui fiunt ex ſimplicibus, facilius ſciuntur illis, qui fiunt ex compoſitis, ideo primo ponemus ſyllogiſmos ſimplices, & poſteà breuiter oſtendemus ſecundum eorum ſimilitudinem, qualiter fiunt ſyllogiſmi ex compoſitis.

Sciendum, quod ſimplices propoſitiones conditionales ſunt quatuor. Aut enim habent ambas partes affirmatiuas, ſcilicet antecedens, & conſequens, vt hæc, ſi eſt homo, eſt animal. Vel antecedens affirmatum, & conſequens negatum, vt hæc, ſi eſt homo, non eſt lapis. Aut conſequens affirmatum, & antecedens negatum, vt hæc, ſi animal non eſt ſanum, eſt ægrum. Aut ambo negata, vt hæc, ſi non eſt animal, non eſt homo.

Syllogiſmi autem, qui ex his propoſitionibus fiunt, oportet quod ſint conſequentiæ quædam. Vt autem dicit Philoſophus 2. topic. duplex eſt conſequentia, ſcilicet in poſitione, ſcilicet quando proceditur pro poſitione antecedentis, & in contraria, ſcilicet quando proceditur à deſtructione conſequentis. Secundum ergo iſta ex prædictis propoſitionibus, quæ fiunt figuræ, in quarum vna proceditur à poſitione antecedentis, in altera vero à deſtructione conſequentis, quarum quælibet quatuor habet modos, ſecundum quod quatuor ſunt propoſitiones, vt dictum eſt.

Primus modus primæ figuræ eſt, ſi eſt homo, eſt animal: ſed eſt homo; ergo eſt animal. Secundus eſt, ſi eſt homo, non eſt lapis: ſed eſt homo; ergo non eſt lapis. Tertius eſt, ſi animal non eſt ſanum eſt ægrum: ſed animal non eſt ſanum; ergo eſt ægrum. Quartus eſt ſi non eſt animal, non eſt homo; ſed non eſt animal; ergo non eſt homo.

Sciendum, quod iſto modo fiunt ſyllogiſmi cum hoc relatiuo qui, vel cum hoc nomine, quicunque; faciunt enim prædicta nomina connotantia oppoſitionem antecedentis ſic, omnis qui currit mouetur: ſed Petrus currit; ergo Petrus mouetur, vel quicunque, &c. A deſtructione conſequentis ſic. Omnis qui currit, vel quicunque currit, mouetur; ſed Sortes non mouetur; ergo Sortes non currit. Et ſic habet ſe in omnibus alijs modis dictarum figurarum. Patet ergo de ſyllogiſmis conditionalibus ex propoſitionibus ſimplicibus.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De ſyllogiſmis conditionalibus ex propoſitionibus hypotheticis compoſitis.

SEquitur de conditionalibus compoſitis, quarum duæ, vt dictum eſt, conſiſtunt ex tribus cathegoricis. Tertia verò ex quatuor. Sed tres propoſitiones cathegoricæ ſecundum affirmationem, & negationem octo modis poſſunt variari. Primo, poſſunt omnes eſſe affirmatiuæ, ſecundo omnes negatiuæ, tertio, duæ primæ affirmatiuæ, & tertia negatiua, quarto duæ primæ poſſunt eſſe negatiuæ, & tertia affirmatiua, quinto prima affirmatiua, & duæ vltimæ negatiuæ, ſexto prima negatiua, & duæ vltimæ affirmatiuæ, ſeptimo prima, & vltima negatiuæ, & media affirmatiua, ideo in qualibet dictarum poteſt fieri variatio, & ſic ſunt octo.

Tertia vero conditionalis compoſita ex duabus conditionalibus, quæ quatuor habent cathegoricas, multipliciter habet variari. De quibus omnibus compoſitis propoſitionibus, & earum varietate ſyllogiſmis, qui

mis, qui ex eis fiunt, diffuſè dixi in libro quem feci de hypotheticis ſyllogiſmis; ideò diffuſè de eis nunc tractare prætermitto; ſed videamus ſolum modos ſyllogizandi in qualibet earum. Fiunt autem ſecundum quamlibet dictarum propoſitionum duæ figuræ, in quarum vna proceditur à poſitione antecedentis, in altera à deſtructione conſequentis. Prima enim propoſitio, vt dictum eſt, componitur ex conditionali, & cathegorica ſic: Si eſt homo cum ſit animatum, eſt animal: ſed eſt homo, ergo cum ſit animatum eſt animal. Et conſimiliter fiet talis ſyllogiſmus, ſi aliqua pars eius, vel omnes ſint negatiuæ sic. Si eſt homo, cum non ſit inanimatus eſt ſenſibilis, ſed eſt homo; ergo cum non ſit inanimatum eſt ſenſibile. A deſtructione vero conſequentis sic. Si eſt homo cum ſit animatum, non eſt ſenſibile; ergo non eſt homo. In negatiua ſic, ſi eſt homo cum non ſit inanimatus eſt ſenſibilis. Sed cum non ſit inanimatum, non eſt ſenſibile; ergo non eſt homo.

Secunda vero propoſitio, vt dictum eſt, compoſita ex cathegorica, & conditionali ſic, ſi cum eſt animatum eſt animal, eſt homo.

Fiunt autem ex tribus propoſitionibus ſyllogiſmi à poſitione antecedens ſic. Si cum eſt animatum eſt homo eſt animal: ſed cum eſt animatum, eſt homo; ergo eſt animal. Negando vero aliquam partem ſic, ſi cum eſt animatum eſt homo, non eſt equus.

A deſtructione vero conſequentis ſic, ſi cum eſt animatum, eſt homo, eſt animal: ſed non eſt animal; ergo cum ſit animatum non eſt homo. Cum parte verò negatiua ſic, ſi cum eſt animatum, eſt homo, non eſt equus, ſed eſt equus; ergo cum ſit animatum non eſt homo.

Et quia vt dictum eſt, quælibet illarum propoſitionum habet variari octo modis, ex qualibet poſſunt fieri ſexdecim ſyllogiſmi, ſcilicet octo à poſitione antecedentis, & octo à deſtructione conſequentis. Tertia verò propoſitio, vt dictum eſt, compoſita eſt ex duabus conditionalibus ſic, ſi eſt homo eſt animal; ſi eſt animal, eſt ſubſtantia. Poteſt autem hæc propoſitio variari tripliciter ſecundum triplicem variationem terminorum. Nam in ea eſt vnus terminus bis ſumptus, cum autem ſint duæ conditionales, talis terminus aliquando eſt antecedens in vtraque ſic, ſi eſt homo, eſt animal, ſi non eſt homo eſt inſenſibile: Aliquando eſt conſequens in vtraque ſic, ſi eſt homo eſt animal, ſi eſt lapis non eſt animal. Aliquando eſt conſequens in vna, & antecedens in alia ſic, ſi eſt homo eſt animal, ſi eſt animal eſt ſubſtantia.

Et ſecundum hoc tripliciter variantur ſyllogiſmi, qui fiunt ex huiuſmodi propoſitionibus, & tamen quælibet iſtarum propoſitionum multiplicatur in octo ſecundum affirmationes, & negationes partium eius, ex quibus fiunt ſexdecim modi ſyllogiſmorum.

Quan-

Quando vero idem terminus in vna eſt conſequens, & in altera eſt antecedens, fiunt ſyllogiſmi ſic, ſi eſt homo eſt animal; ſi eſt animal, eſt ſubſtantia, ſed eſt homo; ergo eſt ſubſtantia, & huiuſmodi fiunt à poſitione antecedentis.

A deſtructione conſequentis ſic, ſi eſt homo, eſt animal, ſi eſt animal eſt ſubſtantia; ſed non eſt ſubſtantia; ergo non eſt homo. Et hæc dicitur à Boetio prima figura iſtarum propoſitionum.

Secunda figura ſecundum eum fit, quando idem eſt antecedens in vtraque ex quo fit ſyllogiſmus à poſitione antecedentis ſic; ſi eſt homo eſt animal, ſi non eſt homo eſt inſenſibilis: ſed eſt homo; ergo non eſt inſenſibilis; vel ſic, ſi eſt homo eſt animal, ſi non eſt homo non eſt rationalis, ſed eſt homo; ergo eſt rationalis.

A deſtructione conſequentis ſic. Si eſt homo eſt animal, ſi non eſt homo eſt inſenſibilis, ſed non eſt animal; ergo eſt inſenſibilis. Vel ſic, ſi eſt homo eſt animal, ſi non eſt rationalis non eſt homo, ſed non eſt animal; ergo non eſt rationalis. Deſtructo enim animali deſtruitur homo, quo deſtructo deſtruitur rationale.

Tertia figura ſecundum eum eſt, quando non arguitur à deſtructione conſequentis, ſed ſolum à poſitione antecedentis, ſic, ſi eſt homo eſt animal, ſi eſt lapis non eſt animal: ſed eſt homo; ergo non eſt lapis. Et ſic patet de ſyllogiſmis conditionalibus.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De ſyllogiſmis diſiunctiuis, & de propoſitionibus reduplicatiuis, & de conuerſione per comparationem.

DE ſyllogiſmis diſiunctiuis nunc dicendum eſt. Vbi nota quod ſicut vna propoſitio conditionalis ſecundum affirmationem, vel negationem ſuarum partium multiplicatur, & ſi ſunt quatuor, ita etiam ſe habet de propoſitione diſiunctiua ſic; quia aut ambæ partes ſunt affirmatiuæ, vt aut eſt ſanum, aut eſt ægrum: vel ambæ partes ſunt negatiuæ, vt aut non eſt ſanum, aut non eſt ægrum: vel prima eſt affirmatiua, & ſecunda negatiua, vt aut eſt ſanum, aut non eſt ægrum: vel prima negatiua, & ſecunda affirmatiua vt aut non eſt ſanum, aut eſt ægrum.

Ad faciendum autem ſyllogiſmos de prædictis propoſitionibus,

 primo

primo oportet videre, quæ dictarum propoſitionum vni ſimplici conditionali æquipollet, poſtea ſecundum quod fiebat ſyllogiſmus ex illa conditionali ſimplici, vt ſupra dictum eſt, ſic fiat de iſta diſiunctiua.

Ad hoc enim videndum oportet ſupponere, quod ad hoc vt propoſitio diſiunctiua ſit vera, ſemper oportet, quod altera pars ſit falſa, ita videlicet, quod prima pars ſit falſa, & ſecunda vera. Et quia poſita quacunque propoſitione falſa si verificatur debet verificari per ſuam oppoſitam. Verbi gratia, si hæc eſt falſa, non eſt homo, verificatur per hanc, eſt homo, & è conuerſo: ideo videamus in propoſitione diſiunctiua partem primam, vtrum ſit affirmatiua, vel negatiua. Si prima pars eſt affirmatiua, æquipollet antecedenti conditionalis negatio. Nam sicut antecedens conditionalis ſupponitur, quod debet eſſe verum, ad hoc quod tota conditionalis ſit vera, ita prima propoſitio cathegorica, quam vocamus in diſiunctiua antecedens ſemper debet eſſe falſa.

Ad hoc vero, quod iſta duo antecedentia æquipolleant, oportet quod si vnum eſt affirmatum, quod alterum ſit negatum, quia in vtraque, ſcilicet conditionali, & diſiunctiua, conſequens eſt verum: ideo ad hoc, quod inter ſe æquipolleant, oportet quod si vnum eſt affirmatum, & reliquum, & si vnum eſt negatum, & reliquum. Verbi gratia, ſit diſiunctiua iſta, aut eſt ſanum, aut eſt ægrum, quæ habet antecedens, & conſequens affirmatiua, ad hoc quòd æquipolleat conditionali veræ, debet conditionalis habere antecedens negatum, & conſequens affirmatum ſic, si non eſt ſanum eſt ægrum, & ſic de alijs. His habitis faciliter poſſunt ſciri ſyllogiſmi diſiunctiui, vt enim ſupra dictum eſt, quatuor ſyllogiſmi conditionales fiunt à poſitione antecedentis, & quatuor à deſtructione conſequentis. Eodem modo in iſtis propoſitionibus. Prima enim propoſitio conditionalis, ex qua ſumebatur primus modus, erat iſta, si eſt homo, eſt animal, ſecundum ergo dicta, huic æquipollet iſta: Aut non eſt homo, aut eſt animal. Fiat ergo ſyllogiſmus diſiunctiuus ſic. Aut non eſt homo, aut eſt animal: ſed eſt homo; ergo eſt animal.

Secunda propoſitio ſecundi modi erat iſta, si eſt homo non eſt lapis, cui æquipollet iſta, aut non eſt homo, aut non eſt lapis, & fiat ſyllogiſmus diſiunctiuus ſic. Aut non eſt homo, aut non eſt lapis: ſed eſt homo; ergo non eſt lapis.

Tertia propoſitio erat iſta, si animal non eſt ſanum, eſt ægrum, cui æquipollet iſta. Aut eſt ſanum, aut eſt ægrum, & fiat ſyllogiſmus diſiunctiuus ſic Aut eſt ſanũ, aut eſt ægrum; ſed non eſt ſanũ: ergo eſt ægrum.

Quar-

Quarta propoſitio erat iſta,ſi non eſt animal, nõ eſt homo,cui æquipollet iſta: Aut eſt animal,aut eſt homo,& fiat ſyllogiſmus diſiũctiuus ſic.Aut eſt animal,aut eſt homo;ſed nõ eſt animal;ergo non eſt homo.

In ſecunda vero figura proceditur à deſtructione conſequentis, & fit primus ſyllogiſmus ſic. Aut non eſt homo, aut non eſt animal: ſed non eſt animal; ergo non eſt homo: ſecundus ſic. Aut non eſt homo, aut non eſt lapis; ſed eſt lapis; ergo non eſt homo. Tertius ſic, aut eſt ſanum, aut eſt ægrum; ſed non eſt ægrum; ergo eſt ſanum: Quartus ſic, aut eſt animal, aut non eſt homo: ſed eſt homo; ergo eſt animal. Et ſic patet de ſyllogiſmis diſiunctiuis. Dictum ergo ſit de ſyllogiſmis hoc modo.

De alijs autem ſpeciebus argumentationis non me intromitto.

Notandum ad hoc quod propoſitio reduplicatiua ſit vera, requiritur, quod quatuor propoſitiones exponentes ipſam, ſcilicet tres cathegoricæ, & vna hypothetica ſint veræ, & ſi aliquarum ipſarum eſſet falſa, ipſa eſſet falſa. Et quia tales propoſitiones aliquando fiunt gratia concomitantiæ, vt ſi dicatur, homo inquantum corporeus eſt coloratus. Aliquando gratia cauſæ, vt ignis inquantum calidus eſt calefactiuus. Et ideo reduplicatiua gratia cauſæ ad veritatem ſuam non ſolum requirit, quod quatuor eius exponentes ſint veræ,ſed quod illud ſuper quod cadit reduplicatio exprimat cauſam importati per prædicatum, vel quod ſit illud cui primo ineſt prædicatum, principale. Verbi gratia, de vtraque dictarum propoſitionum. Ad hoc enim quod iſta ſit vera, homo inquantum corporeus eſt coloratus, requiritur, quod hæ ſint veræ, ſcilicet homo eſt coloratus, homo eſt corporeus, & omne corporeum eſt coloratum, & ſi aliquid eſt corporeum eſt coloratum. Similiter ad veritatem iſtius, ignis, inquantum calidus, eſt calefactiuus. Verum eſt, quod ignis eſt calefactiuus, & quod ignis eſt calidus, & omne calidum eſt calefactiuum,& ſi aliquid eſt calidum, ideſt calefactiuum,& calidus eſt cauſa calefactionis. Et conuertitur reduplicatiua ſic.Ignis,inquantum calidus,eſt calefactiuus: aliquid quod inquantum calidum eſt calefactiuum eſt ignis, & non ſic. Calefactiuum inquantum calidum eſt ignis.

Notandum, quod propoſitio vniuerſalis affirmatiua conuertitur ſimpliciter mutatis terminis finitis in terminos infinitos, conſimiliter eſt etiam de particulari negatiua. Cauſa eſt, nam propoſitio vniuerſalis affirmatiua in terminis finitis non conuertitur ſimpliciter, quia inueniuntur termini in quibus ſic, vt omnis homo eſt riſibilis, & omne riſibile eſt homo. Inueniuntur etiam termini, in quibus non, vt omnis homo eſt animal, non ſequitur; ergo omne animal eſt homo,

quia in plus ſe habet animal, quam homo. Sed quia terminus qui in plus ſe habet, quam alius terminus, ſi infinitetur, ſe habet in minus quam ille, qui in minus ſe habebat. Nam de paucioribus prædicatur non animal, quam non homo, quia non animal prædicatur de omnibus entibus, præterquam de animalibus. Non homo vero prædicatur de omnibus entibus, & de animalibus, præter quam de homine. Poteſt ergo fieri conuerſio. In particulari vero negatiua in terminis finitis non fit conuerſio, quia inueniuntur termini in quibus non, quando videlicet aliqua ſpecies prædicatur negatiuè de ſuo genere, vt quoddam animal non eſt homo, ſed non è conuerſo: ſed ſi verificantur termini, ſcilicet homo non eſt albus, in plus ſe habet non albus quam non homo, ergo poteſt fieri conuerſio, ſcilicet quoddam non album non eſt non homo. Et ſic patet de ſyllogiſmis, &c.

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

CAPVT PRIMVM.

De ſyllogiſmo demonſtratiuo quid ſit.

RESTAT nunc dicere de demonſtratione. Cum enim ſcientia ſit habitus concluſionis demonſtratæ acquiſitus ex ipſius ſpeculatione, ad ſciendum quid ſit ſcientia, & & quomodo acquiratur, neceſſe eſt ſcire quid eſt demonſtratio. Eſt autem demonſtratio ſyllogiſmus procedens ex veris, neceſſarijs, per ſe, primis, proprijs, per ſe notis, immediatis, & cauſis concluſionis.

Sciendum, quod demonſtrationum quædam eſt propter quid, & quædam est quia, vnde dicta diffinitio ſolum conuenit demonſtrationi propter quid. In prædicta autem diffinitione quædam ſunt quæ pertinent ad formam demonstrationis, in hoc quod dicitur eſſe ſyllogiſmus, quædam ſunt quæ pertinent ad materiam demonstrationis, ſcilicet quod ſit procedens ex veris, neceſſarijs, &c. Vnde primo exponam particulas pertinentes ad materiam de qua eſt demonstratio. Secundo ponam ea quæ pertinent ad eius formam, ſcilicet in qua figura, vel modo talis ſyllogiſmus debeat fieri. Quod enim demon-

ſtratio procedat ex veris, neceſſarijs, &c. hoc poteſt patere per finem ſuum, qui eſt ſcire. Cum enim ſcire nihil aliud ſit quam cognoſcere cauſam alicuius rei, & non ſolum cauſam, vt cauſa eſt, ſed vt eſt cauſa illius rei actu. Cognoſcere enim cauſam alicuius rei, & non cognoſcere effectum eius eſſe in actu, eſt cognoſcere effectum in virtute: hoc autem nõ eſt ſcire effectum ſimpliciter, ſed eſt ſcire ſolum ſecundum quid. Etiam quia ſcire eſt per certitudinem cognoſcere, oportet prædictum effectum neceſſario ſemper ad illam cauſam ſequi.

Concluſio ergo demonſtrationis, cuius habitus eſt ſcientia, ſeu ſcire habitualiter, oportet quod procedat ex talibus præmiſſis, quæ ſint veræ, & neceſſariæ cauſæ concluſionis.

CAPVT SECVNDVM.

Quid ſit dici de omni per ſe primo, ſeu vniuerſaliter.

AD inueſtigandum autem dictas particulas diffinitionis demonſtrationis pertinentes ad materiam, de qua eſt demonſtratio; præmittenda ſunt quædam neceſſaria. Quia enim præmiſſæ demonſtrationis ſunt vniuerſales, ideo oportet ſcire quid eſt dici de omni; & quia in eis prædicatum dicitur per ſe de ſubiecto, ideo oportet ſcire quid eſt per ſe, & quid primo.

Eſt autem dici de omni vt hic ſumitur, quando nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum, nec eſt ſumere aliquod tempus, in quo prædicatum tali ſubiecto non conueniat.

Hæc eſt autem differentia inter hoc dici de omni, & illud quod in tractatu ſyllogiſmi dictum fuit; nam ibi ſumebatur dici de omni, quandocunq; aliquid prædicatur vniuerſaliter de aliquo ſubiecto, ſiue ſubiecto inſit prædicatum neceſſario; & omni tempore, ſiue contingenter, vt nunc. Vnde in illa propoſitione, omnis homo currit ſaluatur hoc modo dici de omni. Sed nunc ſumitur dici de omni de eo quod ſemper ineſt ſubiecto, vt omnis homo eſt animal: non enim eſt dare aliquod tempus, in quo homo non ſit animal. Patet ergo de dici de omni.

Per ſe autem dicitur quadrupliciter. Primo modo, quando prædicatum eſt diffinitio, vel aliqua pars diffinitionis ipſius ſubiecti, vt omnis homo eſt animal rationale mortale, vel omnis homo eſt animal.

Secundo modo dicitur per ſe, quando prædicatum eſt propria paſſio ipſius ſubiecti, in cuius diffinitione ponitur ſubiectum, vt omnis homo eſt riſibilis. In diffinitione enim riſibilis ponitur homo non

vt pars eius eſſentialis, ſed vt aliquid extra eſſentiam ſuam, ſine quo cognoſci non poſſet. Cum enim eſſe accedentis dependeat à ſubiecto oportet quod diffinitio quæ ſignificat eſſe ipſius, contineat in ſe ſubiectum.

Tertio modo dicitur aliquid eſſe per ſe, quod ſignificat aliquid ſolitarium, ſicut ſingulare, quod eſt in genere ſubſtantiæ, vt Sortes, & Plato, album, vel ambulans, iſto modo non dicitur per ſe, cum non intelligatur aliquid ſolitarium per ſe exiſtens. Dicendo enim album, dico accidens & ſubiectum: ſed cum dico Sortes, dico aliquid ſolitarium, & ſic dicitur per ſe. Sciendum eſt autem quod iſte modus non eſt modus prædicandi per ſe, ſed eſt modus eſſendi.

Quarto modo prædicatur aliquid per ſe, quando aliquid dicitur de aliquo, quod eſt immediata, & neceſſaria cauſa ipſius, ſicut dicimus quòd interfectus interijt interfectione. Interfectio enim eſt immediata, & neceſſaria cauſa ipſius interitus, & ſic patet de per ſe.

Primo autẽ dicitur aliquid prædicari, quando prædicatũ & ſubiectũ ita ſunt adæquata; vt prædicatum non poſſit inueniri extra ſubiectũ, nec ſubiectum extra prædicatum, ſicut cum dicimus, homo eſt riſibilis. Ita enim ſe habet riſibile ad hominem, quòd de quocunque dicitur riſibile, de eodem dicitur & homo, & è conuerſo. Vnde dicendo, Sortes eſt riſibilis, licet modo riſibile prædicetur de Sorte in ſecundo modo dicendi per ſe, non tamen prædicatur primo, quia riſibile de pluribus prædicatur quam de Sorte. Philoſophus tamen hoc quod dictum eſt prædicari primo, vocat vniuerſale, non tale vniuerſale de quo in primo tractatu dictum eſt, ſed quia prædicatum de ſubiecto, & ſubiectum de prædicato poteſt vniuerſaliter prædicari.

Ex his patet quomodo ſe habent iſta tria, ſcilicet dici de omni, per ſe, & vniuerſale. Neque omne quod primo, ſeu vniuerſaliter prædicatur, prædicatur per ſe, non tamen è conuerſo. Riſibile enim primo per ſe prædicatur de homine. Licet autem riſibile prædicetur per ſe de Sorte, non tamen prædicatur primo. Similiter etiam quod per ſe prædicatur, dicitur de omni, non tamen omne quod dicitur de omni dicitur per ſe. Nam dicendo, omne animal eſt homo, eſt prædicatio de omni, non tamen per ſe.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quòd demonſtratio procedit ex veris, & neceſſarijs.

HIs viſis videamus partes diffinitionis demonſtrationis ſupra poſitæ. Dicitur enim ibi, quod demonſtratio procedit ex præmiſſis veris. Quod autem ſit verum, dictum eſt ſupra. Ad hoc autem quod concluſio ſit vera ex præmiſſis ſic ex cauſis, oportet præmiſſas eſſe veras. Licet enim ex falſis poſſit concludi verum, tamē veritas concluſionis eſt ex præmiſſis. Dicimus enim omnis homo eſt lapis: omnis margarita eſt homo: ergo omnis margarita eſt lapis. Concluſio modo eſt vera, licet præmiſſæ ſint falſæ. Et quia omnis cauſa aſſimilat ſibi effectum, falſitas dictarum propoſitionum non poteſt eſſe cauſa veritatis concluſionis, & ideo in 2. Priorum, dicit Philoſophus, quod verum concluditur ex falſis, non propter quid, ſed quia. Patet ergo quod demonſtratio procedit ex veris.

Deinde dicitur, quod demonſtratio procedit ex præmiſſis neceſſarijs; quæ autem ſit propoſitio neceſſaria, dictum eſt in tractatu ſyllogiſmorum. Notandum quod concluſio demonſtrata, oportet quod ſit neceſſaria. Si enim ſcientia dicit certitudinem, quæ non poteſt eſſe de contingentibus, vt contingentia ſunt, ſed ſolum de neceſſarijs, oportet quod concluſio, cuius habitus eſt ſcientia, ſit neceſſaria.

Hoc ſuppoſito ſciendum eſt, quòd licet concluſio neceſſaria poſſit concludi ex præmiſſis contingentibus, vel ex altera ad minus vt ſupra dictum eſt, non tamen poteſt ſciri ex præmiſſis contingentibus, ſed ex neceſſarijs. Si enim ſcire, vt ſupra dictum eſt, eſt cauſam rei neceſſariam cognoſcere, ſi medium contingenter ſe habebit ad extremitates, non erit ei neceſſarium, & per conſequens poterit remoueri concluſione neceſſaria ſtante: non ergo erit cauſa concluſionis.

Ad hoc ergo quod ſit cauſa concluſionis, neceſſario debet ſe habere ad ambas extremitates, & ſic ambæ præmiſſæ erunt neceſſariæ. Patet ergo quod demonſtratio procedit ex præmiſſis neceſſarijs.

CAPUT QUARTUM.

Quod demonſtratio procedit ex præmiſſis in quibus eſt per ſe, & non per accidens.

DEinde dicitur, quod demonſtratio procedit ex his quæ ſunt per ſe, & non per accidens. Sciendum quod in demonſtratione affirmatiua potiſſima medium eſt diffinitio ſubiecti ſimul ſupra cum diffinitione paſſionis. Vnde in maiori propoſitione paſſio prædicatur de diffinitione ſubiecti, in qua exprimuntur principia ipſius paſſionis. Vt enim primo tractatu dictum eſt, ſubiectum comparatur ad primam paſſionem non ſolum in ratione cauſæ materialis, ſed etiam in ratione cauſæ efficientis.

Diffinitio ergo ſubiecti ſimul ſumpta cum diffinitione paſſionis, exprimit cauſam efficientem ipſius paſſionis immediatam & neceſſariam: hic autem eſt quartus modus dicendi per ſe, vt ſupra dictum eſt. In minori autem propoſitione prædicatur diffinitio de ſubiecto, & hic eſt primus modus dicendi per ſe. In concluſione vero prædicatur propria paſſio de ſuo ſubiecto, & hic eſt ſecundus modus dicendi per ſe. Verbi gratia. Si vellemus demonſtrare, quod omnis quaternarius numerus eſt par, ſic fit. Omnis multitudo menſurata per vnum, cuius per ſe non eſt medium, eſt par: ſed omnis quaternarius numerus eſt talis multitudo; ergo omnis quaternarius eſt par. Hic ſubiectum eſt quaternarius numerus: paſſio vero eius eſt par, ſeu paritas: medium verò quod fuit ſumptum, dicit diffinitionem numeri, quæ eſt multitudo menſurata per vnum, & dicit diffinitionem paris, quia paris ſecundum ſe non eſt medium. In maiori propoſitione paſſio prædicatur de diffinitione ſubiecti, in qua exprimitur diffinitio ſua, & ſic eſt quartus modus dicendi per ſe. In minori propoſitione diffinitio ſubiecti prædicatur de ſuo ſubiecto, & ſic eſt primus modus dicendi per ſe. In concluſione verò prædicatur propria paſſio de ſuo ſubiecto, & eſt ſecundus modus dicendi per ſe.

Patet ergo quod demonſtratio procedit ex his quæ ſunt per ſe. Ratio communis huius fit ſic. Syllogiſmus qui procedit ex neceſſarijs, non procedit ex his quæ ſunt per accidens, ſed ex his quæ ſunt per ſe: ſed vt dictum eſt, demonſtratio procedit ex neceſſarijs; ergo demonſtratio procedit ex his quæ ſunt per ſe.

CAPUT.

CAPVT QVINTVM.

Quod demonſtratio procedit ex primis, & immediatis.

DEinde dicitur, quòd demonſtratio procedit ex primis. Vbi nota, quòd in demonſtratione potiſſima prædicatur propria paſſio de ſubiecto in concluſione. In præmiſſis autem vel prædicatur diffinitio de ſubiecto, vel propria paſſio de diffinitione ſubiecti, & ſua. Hæc autem omnia conuertibilia ſunt, & hoc eſt prædicari primo, vt ſupra dictum eſt. Et propter hoc demonſtratio ſuperius poſita non eſt potiſſima: concluditur enim par de numero quaternario, in plus enim ſe habent par quam numerus quaternarius, quia dicitur de ſenario, octonario,& cæteris.

Conuenit autem par adæquatè alicui communi numero,qui eſt innominatus, & de illo ſi haberet nomen, prædicatur per ſe,& primo: & de illo poſſet fieri demonſtratio potiſsima. Sicut dicimus,quod habere tres angulos, æquales duobus rectis conuenit per ſe primo triangulo, quia conuertuntur. Omnis enim triangulus habet tres angulos, & omne habens tres angulos eſt triangulus. Non autem conuenit hyſocheli primo, quia non omne habens tres angulos,eſt hyſocheles. Tales propoſitiones demonſtrationum ſunt immediatæ.

Mediata enim propoſitio eſt illa, in qua prædicatum ineſt ſubiecto propter aliquid prædicatum, quod ſubiecto per prius conuenit, ſicut riſibile Sorti,quia per prius conuenit homini.

Immediata autem propoſitio eſt illa, in qua prædicatum non propter aliud conuenit ſubiecto, ſicut riſibile conuenit diffinitioni hominis, & omnis propria paſſio diffinitioni ſui ſubiecti & ſuæ. Patet ergo quòd demonſtratio procedit ex primis principijs, & immediatis.

Sciendùm, quòd differt primum,& immediatum: nam non omne quod primo ineſt, dicitur immediatum. Riſibile enim primo ineſt homini, ſed non immediatè, quia per prius ineſt diffinitioni hominis, & ſuæ, aliter diffinitio non eſſet medium ad concludendum riſibile de homine. Similiter etiam non omne quod immediatè ineſt, primo ineſt: homo enim immediatè ineſt Sorti, non tamen primo,quia de pluribus dicitur homo quam Sortes, vnde præmiſſæ demonſtrationes oportet quod vtrumque habeant.

Sciendũ etiã quod cũ prima principia in demonſtratione aliquando ſint mediata,quia per aliquod mediũ poſſunt demõſtrari, tamẽ demõſtrator accipit ea, vt immediata, & indemonſtrabilia. Non enim ſunt demonſtrabilia in illa ſcĩetia,de qua eſt demonſtratio,ſed in ſcientia ſuperior: & ideo licet habeant mediũ,tamen accipiuntur,vt immediata.

CAPVT SEXTVM.

Quid demonſtratio procedit ex proprijs, & non ex extraneis, nec ex communibus.

DEinde dicitur, quòd demonſtratio procedit ex proprijs. Vbi nota, quod proprium aliquando dicitur eſſe aliquid, quia non eſt extraneum, & aliquando dicitur eſſe proprium, quia non eſt commune. Vtroque autem modo procedit demonſtratio ex proprijs, quia non ex extraneis, nec communibus.

Quod autem non procedat ex extraneis, ſciendum quod in demonſtratione ſunt tres termini, ſicut in quolibet ſyllogiſmo, ſcilicet maior extremitas, quæ eſt propria paſſio, minor extremitas quæ eſt ſubiectum, & medium quod eſt diffinitio ſubiecti cum diffinitione paſsionis. Si autem medium eſſet extraneum à maiori, vel minori extremitate, quòd ſcilicet non eſſet diffinitio vtrumque comprehendens, tunc maior extremitas non prædicatur de eo per ſe, nec ipſum de ſubiecto per ſe prædicaretur: ſed probatum eſt, quod in maiori propoſitione maior extremitas prædicatur per ſe de medio in quarto modo dicendi per ſe, & in minori propoſitione prædicatur medium de minori extremitate per ſe in primo modo dicendi per ſe: ergo nullo modo demonſtratio procedit ex extraneis, ſed ex proprijs.

Sciendum, quod licet in demonſtrationibus non ſit deſcenſus ex vno genere in aliud genus extraneum, tamen nihil prohibet aliquando ſubiectum vnius demonſtrationis contineri ſub ſubiecto alterius demonſtrationis, & contrahere illud. Verbi gratia, dato quod demonſtretur hæc paſsio, ſcilicet ſenſatiuum, per diffinitionem animalis de ipſo animali, ſi eadem paſsio demonſtraretur de homine per idem medium, vel per medium contractum ad diffinitionem hominis, tunc vna demonſtratio fieret ſub alia demonſtratione, & eſſet ſubiectum ſub ſubiecto.

Sciendum etiam eſt, quod talis contractio aliquando eſt in eodem genere ſimpliciter, ſicut dictum eſt de animali, & de homine, quia aliquando contrahitur ad hominem per aliquam differentiam extraneam.

Aliquando vero talis contractio, ſeu deſcenſus fit in eodem genere ſecundum quid, quia ſubiectum contrahitur per differentiam extraneam, ſicut viſuale eſt extraneum à genere lineæ, & ſonus eſt extraneus à genere numeri. Vnde linea quæ eſt ſimpliciter ſubiectum Geometriæ,

metriæ, & linea viſualis,quæ eſt ſubiectum perſpectiuæ, non ſunt ſimpliciter vnius generis, ſed ſolum ſecundum quid, & ſimiliter ſe habet de numero, qui eſt ſubiectum Arithmeticæ, & de numero ſonoro, qui eſt ſubiectum muſicæ: Et ideo quando ea quæ ſunt lineæ ſimpliciter applicantur ad lineam viſualem, fit quodammodo deſcenſus in aliud genus. Vnde in demonſtratione quæ fit in ſcientia perſpectiua, & in muſica proceditur quodam modo ex principijs extraneis. Patet ergo qualiter demonſtratio procedit ex principijs, ſeu præmiſſis proprijs,& non extraneis.

Quod etiam procedat ex proprijs, & non ex communibus, ſciendum quòd in demonſtratione quædam principia concurrunt actualiter, quædam verò virtualiter. Quædam verò principia dicuntur dignitates, ſeu communes animi conceptiones, quia ita naturaliter intellectus noſter inclinatur per lumen ſuum ad ea cognoſcenda, quod ſtatim cognitis terminis, cognoſcit illa principia, vt; Omne totum eſt maius ſua parte. Nam ſtatim quod ratio cognoſcit quid eſt totum, & quid eſt pars, cognoſcit hoc eſſe verum, ſcilicet, omne totum eſt maius ſua parte. Iſta autem principia, ſeu propoſitiones primæ ſunt magis & minus communia. Vnde illud principium commune, de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe, eſt commune in omni ente: ſed illud principium; Omne totum eſt maius ſua parte, ſolum conuenit enti corporeo,& non ſubſtantijs ſeparatis,quæ nec totum habent, nec partem, & ſic se habet in multis alijs. Vnde dicta principia non intrant actu demonſtrationes quæ fiunt in ſcientijs, ſed virtute: quando enim dico quamcumque propoſitionem, primum intrat in eam virtute. Cum enim dico,Petrus currit, certum eſt vel quia homo eſt, vel non eſt; ergo hoc principium, ſcilicet; De quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe, virtute eſt in qualibet præmiſſarum demonſtrationis, & ſic eſt de alijs principijs minus communibus reſpectu demonſtrationum, in quibus ſunt virtute. Vnde dicere, quod demonſtrationes non procedunt ex his principijs virtute,falſum eſt.

Sed dico, quod talia principia communia actu non intrant demonſtrationem. Vnde illi qui voluit demonſtrare quadraturam circuli per principia communia ſic arguendo. Vbi inuenitur maius & minus, ibi inuenitur æquale: ſed inuenitur quadratum maius circulo, & minus circulo; ergo inuenitur æquale, malè demonſtrauit. Ratio eſt, nam vt ſupra probatum eſt, demonſtratio procedit ex primis & immediatis, ſed vtendo iſtis principijs, ambæ propoſitiones demonſtrationis, non erunt immediatæ, & primæ, quoniam eſſe maius, vel minus circulo non ſolum conuenit quadrato, ſed etiam triangulo, & multis

 alijs

alijs figuris, non ergo in iſta propoſitione eſt primum, ſeu quod primo ineſt. Nec eſt immediata, quia per multa media poſſet hoc probari; non ergo ex talibus procedit demonſtratio.

Alia verò principia demonſtrationis ſunt, quæ actu intrant demonſtrationem, quæ etiam dicuntur poſitiones, ſuppoſitiones, & diffinitiones.

Ad ſciendum autem hæc nomina, nota quòd quicquid in demonſtratione ante concluſionem ponitur, dicitur poſitio, eo quod poſita eſt ante concluſionem.

Poſitionum autem quædam non aſſumunt eſſe, vel non eſſe, & talis eſt diffinitio: non enim dicitur diffinitio iſta, homo eſt animal rationale, mortale: ſed diffinitio ſolum eſt hoc, ſcilicet animal rationale mortale, ſine hoc quòd addatur ſibi eſſe, vel non eſſe, & talis diffinitio eſt poſitio.

Aliquando poſitio aſſumit eſſe, vel non eſſe, vt cum dicimus, homo eſt animal rationale mortale, & hæc dicitur ſuppoſitio.

Sciendum quod tales ſuppoſitiones non ſine cauſa dicuntur ſuppoſitiones. Vbi nota, quod propoſitio per ſe nota dicitur, in qua prædicatum eſt de ratione ſubiecti, tales autem debent eſſe præmiſſæ demonſtrationum, vt infra dicetur.

Sciendum, quod aliquarum propoſitionum termini ſunt in communi omnium notitia, vt ſunt ens, verum, bonum, vnum, aliquid, & res, & huiuſmodi quæ pertinent ad primas conceptiones intellectus, quæ ſtatim vt audiuntur, cognoſcuntur.

Vnde propoſitiones quæ ex eis fiunt, non ſolum ſunt per ſe notæ in ſe, ſed etiam quo ad nos, vt de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe, vnde tales non dicuntur ſuppoſitiones.

Aliæ verò propoſitiones ſunt, in quibus licet prædicatum ſit de diffinitione ſubiecti, tamen diffinitio ſubiecti non eſt omnibus nota, & per conſequens non eſt omnibus notum, quòd prædicatum ſit de eius diffinitione, ſicut iſta. Omnes anguli recti ſunt æquales: æquale enim eſt de diffinitione anguli recti. Eſt enim angulus rectus, qui cauſatur ex linea recta perpendiculariter cadente ſuper lineam rectam, ita quod ex vtraque parte anguli reddantur æquales.

Quia ergo non omnes hoc ſciunt, ſcilicet, quòd æquale ſit de diffinitione anguli recti: ideo hoc ſupponitur, & propter hoc dicitur ſuppoſitio.

Alio modo propoſitio demonſtrationis poteſt dici ſuppoſitio: nam quædam propoſitiones ſunt, quæ probantur per principia ſuperioris

ſcien-

ſcientiæ, vt infra oſtendetur, & ideo inferior ſcientia oportet quòd ſupponat.

Et quia ex talibus principijs, ſeu præmiſsis proprijs procedit demonſtratio, quia actu intrant in eam, ideo procedit ex proprijs, non ex communibus. Patet ergo quomodo demonſtratio procedit ex proprijs, &c.

CAPVT SEPTIMVM.

Quod demonſtratio procedit ex per ſe notis.

DEinde dicitur, quod demonſtratio procedit ex per ſe notis. Per ſe notæ enim dicuntur propoſitiones, in quibus prædicatum eſt de diffinitione ſubiecti, vel immediatè cauſatur ex principijs eius: ſed ex ea quibus procedit demonſtratio, ſunt huiuſmodi. Nam in maiori propoſitione prædicatur propria paſsio de diffinitione ſubiecti, & ſua, quæ eſt immediata cauſa ſui, ſeu exprimit immediata principia eius: in minori verò prædicatur diffinitio de ſubiecto; ergo demonſtratio procedit ex per ſe notis.

Sciendum, quod quædam propoſitiones ſunt per ſe notæ in ſe, & non quo ad omnes, ſicut hæc; Omnis febricitans habet pulſum excitatum. Licet enim hoc ſit notum in ſe, quia febris eſt cauſa excitationis pulſus, tamen non eſt per ſe notum quo ad nos, ſed è conuerſo cognoſcimus febrem per excitationem pulſus: ex talibus autem per ſe notis non procedit demonſtratio. Si enim propter quod vnumquodque, & illud magis: propter præmiſſas autem innoteſcunt nobis concluſiones; ergo oportet quod præmiſſæ ſint nobis magis notæ. Vnde concluſiones nullo modo poſſent nobis fieri notæ, niſi præmiſſæ eſſent magis nobis notæ: demonſtrationes autem fiunt, vt concluſiones fiant nobis notæ; ergo demonſtrationes procedunt ex notioribus quo ad nos.

Quædam autem propoſitiones ſunt per ſe notæ & in ſe, & quo ad nos, vt omnis numerus cuius per ſe non eſt medium, eſt par, quia omnis numerus qui non habet ſecundum ſe medium, dicitur par, & è conuerſo, & ex talibus procedit demonſtratio. Patet ergo quod demonſtratio procedit ex per ſe notis, & notioribus nobis. Ex prædictis poteſt concludi, quòd demonſtratio, & ſcientia quæ eſt habitus concluſionis demonſtratæ, ſemper ſit de incorruptibilibus, & ſempiternis. Vbi enim ſaluatur dici de omni, oportet quod illud ſit incorruptibile & ſempiternum. Sicut enim ſupra dictum eſt, dici de omni,

dicitur

dicitur quod non aliquando ineſt, & aliquando non ineſt, ſed ſemper ineſt: corruptibilia autem non ſunt ſemper in eis; ergo non ſaluatur dici de omni, ſed ſolum in ſempiternis.

Sed in demonſtratione potiſſima quæ habet ambas propoſitiones vniuerſales ſaluatur in omnibus dici de omni; ergo demonſtratio eſt de incorruptibilibus & ſempiternis: apparet etiam quòd diffinitio eſt ſempiternorum. Licet enim corruptibilia diffiniantur, non tamen diffiniuntur inquantum corruptibilia ſunt. Solum enim particularia ſunt corruptibilia, particulare autem non diffinitur. Vnde diffinitio eſt corruptibilium per accidens, ſempiternorum autem eſt per ſe.

Sciendum, quòd quædam ſempiterna, ſeu æterna, vt ad propoſitum demonſtrationis pertinet, non ſunt ſemper ſecundum tempus, ſunt autem per compoſitionem ad cauſam: quia nuuquam deficit quin poſita tali cauſa ponatur effectus, ſicut defectus ſolis nunquam deficit, quin interpoſita luna inter nos, & ſolem ſit, tamen defectus ſolis non eſt ſemper, niſi tunc. Quædam verò non ſunt ſemper nec per comparationem ad tempus, nec per comparationem ad cauſam, quæ impediri poteſt. Non enim ſemper ex ſemine hominis generatur homo cum duobus oculis: ſed quandoque deficit propter impedimentum cauſæ agentis, vel materiæ.

In vtriuſque autem ſic ordinandæ ſunt demonſtrationes ad hoc quod ſint ex ſempiternis, vt ex vniuerſalibus propoſitionibus inferatur concluſio vniuerſalis, remouendo illa, in quibus poteſt eſſe defectus, vel ex parte temporis, vel ex parte cauſæ. Patet ergo quod demonſtratio eſt ex ſempiternis tàm in præmiſſis, quàm in concluſione. Scientia ergo quæ eſt habitus concluſionis demonſtrationis, eſt ex ſempiternis.

CAPUT OCTAVUM.

Quòd demonſtratio procedit ex cauſis concluſionis.

Deinde dicitur, quod demonſtratio procedit ex cauſis concluſionis, quod dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, quod præmiſſæ ſint cauſa, quod maior extremitas inſit minori, & hoc non ſolum eſt verum in demonſtratione, ſed etiam in omni ſyllogiſmo, in quo ex veris concluditur verum. Vnde in iſto ſyllogiſmo, ſcilicet. Omnis homo currit: Sortes eſt homo; ergo Sortes currit, dato quod hoc ſit verum, ſcilicet omnis homo currit, & Sortes eſt homo, ſequitur neceſſario, vt effectus, quod Sortes currit.

Alio modo poteſt intelligi, quod præmiſſæ ſint cauſa concluſionis,

quia in eis continetur cauſa tàm ſubiecti, quàm etiam prædicati ipſius concluſionis, & ſic hoc ſolum conuenit demonſtrationi.

Sciendum, quod quia, vt ſupra dictum eſt, ſcire propter quid, eſt cauſam rei cognoſcere, medium autem quod eſt de demonſtratione, quæ eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, eſt diffinitio ſubiecti, & paſſionis: omnis autem bona diffinitio datur per aliquam cauſam; ergo medium quod ſtat in præmiſſis, eſt cauſa ſubiecti, & paſſionis, aliter tamen ſubiecti, & aliter paſſionis.

Vbi ſciendum eſt, quod cum quatuor ſint cauſæ, ſcilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis, à qualibet harum poteſt ſumi diffinitio. Verbi gratia, dicendo. Domus eſt cooperimentum cum lapidibus, cemento, & lignis, eſt diffinitio per cauſam materialem. Si verò dicatur. Domus eſt cooperimentum quadratum, longum, & altum, erit diffinitio per cauſam formalem. Si verò dicatur. Domus eſt cooperimentum factum ab artifice cum martellis, tegulis, & plumbo, erit diffinitio per cauſam efficientem. Si verò dicatur. Domus eſt cooperimentum prohibens nos à pluuijs, frigore, & calore, erit diffinitio per cauſam finalem. Cum ergo ſubiectum per tot cauſas poſſit diffiniri, medium quod eſt eius diffinitio, vt dictum eſt, ſe habebit ad illud in habitudine tot cauſarum. Reſpectu verò paſſionis habet ſe medium in habitudine duarum cauſarum, ſcilicet materialis, & efficientis. Subiectum enim vt dictum eſt, comparatur ad propriam paſſionem & vt ſubiectum, & vt efficiens, & eodem modo ſe habet diffinitio ſubiecti reſpectu paſſionis.

Sciendum, quod quia cauſæ habent ordinem adinuicem, ex vna ſumitur ratio alterius. Ex forma enim ſumitur ratio materiæ, quia talem oportet eſſe materiam, qualem forma requirit. Efficiens autem eſt ratio formæ: quia enim omne agẽs agit in ſibi ſimile, oportet quod ſecundum modum agentis ſit modus formæ, quæ ex actione ſequitur. Ex fine vero ſumitur ratio efficientis, quia omne agens agit propter finem; oportet ergo quod diffinitio quæ ſumitur à fine, ſit ratio, & cauſa probatiua aliarum diffinitionum, quæ ſumuntur ex alijs cauſis, & quæ ſumitur ab agente aliarum duarum, & quæ ſumitur à forma eius, quæ ſumitur à materia: ideo diffinitio quæ ſumitur à materia, poteſt demonſtrari per cauſam finalem, & ſic de alijs. Et propter hoc dicit Philoſophus 1. poſteriorum, quod diffinitio, vel eſt concluſio demonſtrationis, ſcilicet quando eſt per talem cauſam, quæ concludi poſſit ex diffinitione, quæ ſiant per aliam cauſam: vel eſt principium demonſtrationis, ſcilicet, quando eſt è conuerſo ex cauſa quæ ſit ratio, & cauſa probatiua alterius: vel eſt demonſtratio ſola

poſitio-

poſitione, ſeu ordinatione differens, ſcilicet, quando tales duas cauſas comprehendit. Et ſic patet de partibus diffinitionis demonſtrationis, quas continet eius materia.

CAPVT NONVM.

Quòd demonſtratio potiſſima affirmatiua ſit ſolum in prima figura, & in primo modo eius.

Nvnc reſtat dicere de eius forma. Nam in eius diffinitione dictum eſt, quod eſt ſyllogiſmus. Vbi nota, quod demonſtratio aliquando eſt affirmatiua, aliquando negatiua. Demonſtrationum autem tàm affirmatiuarum, quàm negatiuarũ quædam ſunt potiſſimæ: quædam verò non potiſſimæ: Potiſſimæ dicuntur illæ, in quibus obſeruantur omnia illa, quæ de demonſtratione dicta ſunt nullo omiſſo: ſi verò aliquid omitteretur, non eſſe potiſſima.

Vnde videndum eſt in quibus figuris fiant demonſtrationes potiſſimæ, & primo affirmatiuæ. Sciendum, quod demonſtratio potiſſima affirmatiua debet fieri ſolum in prima figura, & in primo modo eius: quod ſic poteſt patere. Nã in ea figura, & in eo modo eius demõſtratio debet fieri propter quid, vbi medium eſt cauſa paſſionis, & ſubiecti, ita quòd præmiſſæ ſint per ſe, in quibus conuenienter poteſt medium aſſignari cauſa paſſionis, & ſubiecti: ſed hoc non poteſt fieri niſi in prima figura. Nam in ſecunda figura non concluditur affirmatiua: in tertia verò figura etſi concludi poteſt affirmatiua, tamen quia medium in vtraque propoſitione ſubijcitur in minori propoſitione, in qua ſubiectũ prædicaretur de ſua diffinitione, non eſſet prædicatio in aliquo modo dicendi per ſe, quod non contingit in prima figura, in qua in minori propoſitione prædicatur diffinitio de ſubiecto, vt dictum eſt; ergo in ſola prima figura fit demonſtratio potiſſima affirmatiua. Etiam oportet quòd fiat in primo modo eius; vt enim ſupra dictum eſt, in demonſtratione potiſſima tàm in præmiſſis, quàm in concluſione ſaluatur dici de omni, & primum, quod non poſſet fieri niſi omnes eſſent vniuerſales: ſed hoc ſolum fit in primo modo primæ figuræ; ergo ſolum in eo poteſt fieri demonſtratio potiſsima.

Demonſtrationes verò non potiſsimæ poſſunt fieri, & in tertio modo primæ figuræ, & in tertia figura in modis concludentibus affirmatiuam. Patet ergo in qua figura, & in quo modo poteſt fieri demonſtratio potiſsima affirmatiua.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Quod demonſtratio potiſſima negatiua debet fieri in ſecundo modo ſecundæ figuræ.

AD ſciendum autem qualiter debeat fieri demonſtratio potiſsima negatiua, videamus vtrum talis demonſtratio poſsit eſſe. Dico quod licet in demonſtratione negatiua non poſsint eſſe, nec ſeruari omnia ſupradicta de demonſtratione(non enim poteſt in propoſitione negatiua aliquid per ſe prædicari, cum dici per ſe ſit affirmatiuæ) tamen ſufficit in tali demonſtratione, quòd præmiſſæ ſint neceſſariæ, & immediatæ.

Qualiter autem tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ ſint neceſſariæ, dictum eſt in tractatu ſyllogiſmorum, & qualiter affirmatiua ſit immediata dictum eſt ſupra. Reſtat ergo dicere, qualiter negatiua ſit mediata,vel immediata.

Notandum,quòd quando aliquid negatur de aliquo, & è conuerſo, & de altero termino aliquid poteſt vniuerſaliter prædicari,de quo alter terminus poteſt negari,tunc propoſitio vniuerſalis negatiua formata ex primis duobus terminis poteſt demonſtrari mediante illo, qui prædicatur vniuerſaliter affirmatiuè de altero illorum terminorum. Verbi gratia. Homo poteſt negari de lapide, & è conuerſo, vt. Nullus homo eſt lapis, & quia de homine poteſt prædicari aliquid vniuerſaliter, ſcilicet animal, dicimus enim, omnis homo eſt animal, & de animali poteſt negari lapis, ergo illa propoſitio, ſcilicet nullus homo eſt lapis, eſt mediata. Poteſt enim probari per medium ſic. Nullum animal eſt lapis: omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis. Et idem ſequitur, ſi aliquid poteſt prædicari vniuerſaliter de lapide,quod poſsit negari de homine, vel de quo poſſet homo negari, erit ergo propoſitio negatiua immediata, quando duo termini negati ab inuicem ita ſe habebunt,quòd neuter eorum habebit aliquid, quod de ipſo vniuerſaliter prædicetur, quod ab altero termino negari poſsit, vel ille terminus ab eo. Verbi gratia. Nulla ſubſtantia eſt quantitas, iſta eſt immediata,nullus enim terminus poteſt vniuerſaliter prædicari de ſubſtantia, qui negetur de quantitate, de ſubſtantia enim prædicatur vniuerſaliter ens,quod tamen non negatur de quantitate.

Similiter etiam duæ diffinitiones duarum ſpecierum ſub aliquo genere immediatè contentarum faciunt propoſitionem negatiuam immediatam, vt eſt iſta. Nullum animal rationale mortale eſt animal

irrationale mortale, animal enim rationale mortale eſt diffinitio hominis, animal verò irrationale mortale eſt diffinitio bruti, brutum autem & homo immediatè ſunt ſub animali. Et idem erit de duabus differentijs ex oppoſito diuidentibus idem genus, vt: Nullum rationale eſt irrationale.

Secus autem eſt de ſpeciebus per illas differentias conſtitutis, vt: Nullus homo eſt brutum, quia ſupra hominem eſt aliquid quod poſſet negari de bruto, ſcilicet rationale, & ſupra brutum eſt aliquid quod poſſet de homine negari, ſcilicet irrationale, ideo ſunt mediatæ, licet non propriè poſsit dici quod rationale ſit ſupra hominem: nec irrationale ſupra brutum, & ideo non propriè ſunt mediatæ.

His habitis ſtatim poteſt ſciri qualiter fiat demonſtratio negatiua, & in qua figura. In tertia enim figura, quia non concluditur vniuerſalis negatiua, in ea non poteſt fieri talis demonſtratio potiſsima. Vnde quia in prima, & ſecunda figura poteſt concludi vniuerſalis negatiua, in vtraque poteſt fieri talis demonſtratio eam concludens: ſed potiſsima ſolum poteſt fieri in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Ratio eſt, quia licet ſcientia ſit de vero, non tamen de omni vero, quantumcunque ſyllogizetur ex immediatis. Vnde dicendo ſic: Omnis habitus eſt qualitas: omnis virtus eſt habitus; ergo omnis virtus eſt qualitas. Licet talis concluſio ſit vera, & ex veris, immediatis, & neceſſarijs, & per ſe, non tamē per ſe ex ea cauſabitur ſcientia: ſed in demōſtrationibus affirmatiuis ſolum cauſatur ſcientia ex concluſionibus veris, quarum præmiſſæ ſunt veræ, & immediatæ, & huiuſmodi, vt dictum eſt, in quarum concluſionibus prædicatur propria paſsio de ſubiecto proprio.

Sic etiā in demōſtratione negatiua nō cauſabitur ſcientia ex habitu eius concluſionis, dato quod concluſio ſit vera, & concludatur ex immediatis, niſi propria paſsio verè negetur de eo, quod non eſt ſibi ſubiectum, vel ab eo quod non exprimit cauſam ſuam, ſicut exprimit diffinitio proprij ſubiecti, & talis verè erit demonſtratio potiſsima: hæc autem non poterit fieri ex propoſitionibus immediatis, niſi in ſecundo modo ſecundæ figuræ ſic. Omne riſibile eſt animal rationale ad apprehenſionem conuenientis emittens ſpiritum dilatando os: ſed nullum irrationale eſt tale animal rationale ad apprehenſionem; ergo nullum irrationale eſt riſibile. Certum eſt, quod maior eſt immediata: nam in ea prædicatur diffinitio paſsionis, & ſubiecti de ipſa paſsione. Minor etiam eſt immediata, vt dictum eſt.

In concluſione verò remouetur paſſio ab eo, quod non eſt ſibi ſubiectum: hoc autem non poſſet fieri in prima figura, nec in primo modo ſecundæ figuræ. Si enim in prima figura diceretur ſic, Nullum

irratio

irrationale eſt riſibile: omne brutum eſt rationale; ergo nullum brutum eſt riſibile; tunc maior non eſſet immediata. Et ſi fieret syllogiſmus in primo modo ſecundæ figuræ, licet præmiſſæ poſſent eſſe immediatæ, non tamen concluderetur remouendo paſſionem à ſubiecto, ſed è conuerſo ſic. Nullum irrationale eſt animal rationale: ſed omne riſibile eſt animal rationale; ergo nullum riſibile eſt irrationale. Poteſt etiam fieri demonſtratio particularis negatiua in quarto modo ſecundæ figuræ. Et ſic patet de forma demonſtrationis, in quibus figuris, & modis fieri debeat. Patet ergo de demonſtratione propter quid.

CAPVT VNDECIMVM.

Quod demonſtratio quia procedit ab effectu ad cauſam, vel à cauſis remotis ad effectum.

Nvnc dicendum eſt de demonſtratione, quia. Vbi primo videndum eſt quid ſignificetur per hoc quod dicitur propter quid, & quid per hoc quod dicitur quia. Notandum, quod de re quatuor ſcire poſſumus, ſcilicet quid eſt, an eſt, quia eſt, & propter quid eſt.

Ad quæ intelligenda, ſciendum eſt quod cum ſcientia non ſit niſi verorum, verum autem & ens conuertuntur, de eſſe ergo erit ſcientia. Vt autem dictum eſt in tractatu de prædicamentis, duplex eſſe inuenitur in rebus, ſcilicet eſſentiæ, & eſſe actualis exiſtentiæ, & quia eſſe eſſentiæ dicitur quidditas, ſeu quid eſt res, ideo cum ſcimus eſſe eſſentiæ alicuius rei, dicimus ſcire quid eſt de ipſa: eſſe autem actualis exiſtentiæ aliter ſe habet in ſubſtantia, & aliter in accidente. Quia enim accidentis eſſe eſt ineſſe, ſcire autem eſſe actualis exiſtentiæ ſubiecti eſt ſolum ſcire quod actu ſit, & hoc eſt ſcire de ipſo an eſt: ſed ſcire de accidente eſſe actualis exiſtentiæ, eſt ſcire de ipſo, quia eſt, vnde ſcire quia eſt, nihil aliud eſt quàm ſcire hoc ineſſe huic. Et quia aliquando aliquid ineſt alicui propter aliquam cauſam, ideo ſcire illam cauſam eſt ſcire propter quid. Patet ergo quod ſcire quia eſt de aliqua re, eſt ſcire ipſam ineſſe alicui ignorando cauſam quare inſit: ſcire autem propter quid, eſt ſcire aliquam rem ineſſe alicui, & ſcire cauſam quare ſibi inſit.

Demonſtratio ergo propter quid eſt illa, in qua manifeſtatur cauſa quare prædicatum ineſt ſubiecto in concluſione. Demonſtratio verò quia dicitur illa, in qua concluditur aliquid ineſſe ſubiecto alicui, non tamen aſſignatur cauſa quare ſibi ineſt. Vt autem dictum eſt ſupra, ad demonſtrationem propter quid requiritur quod procedat ex cauſis,

& ex immediatis: non enim ſufficit ſcire cauſam, ſed quoniam eſt cauſa eius, quod ſcitur, ſi erit cauſa immediata. Demonſtratio ergo quia, erit vel quia non procedit ex cauſis, vel quia non procedit ex immediatis, ſed ex cauſis remotis.

Quantum ad primum ſciendum, quod vt dictum eſt, demonſtratio dicitur cauſa innoteſcendi, ſcilicet, vt per præmiſſas nobis innoteſcat concluſio: hoc autem fieri non poſſet, niſi præmiſſæ eſſent nobis magis notæ, & ideo hoc eſt neceſſarium, vt ſcilicet demonſtratio procedat ex notioribus quo ad nos. Contingit autem aliquando, vt immediatus effectus ſit nobis magis notus quam cauſa, ideo in talibus oportet demonſtrationem procedere ab effectu ad cauſam. Verbi gratia, moueri, & ſentire eſt immediatus effectus habentis animam ſenſitiuam, & eſt magis notum nobis, quod aliquid moueatur, & ſentiat, quia hoc ſentimus, quàm hoc quod habeat animam ſenſitiuam: & ideo ſi procedatur ſic. Omne quod mouetur & ſentit, habet animam ſenſitiuam: ſed omne animal mouetur & ſentit, ergo omne animal habet animam ſenſitiuam. Modo concluditur de animali, quòd habet animam ſenſitiuam, non tamen per cauſam, ſed per effectum, qui eſt moueri & ſentire. Si verò fieret demonſtratio, & concluſio, eſſet demonſtratio propter quid ſic. Omne habens animam ſenſitiuam mouetur & ſentit: ſed omne animal habet animam ſenſitiuam; ergo omne animal mouetur & ſentit.

Sciendum, quod tales demonſtrationes, quia, aliquando ſunt in talibus terminis, quæ omnes ſunt conuertibiles inter ſe, ſcilicet medium, maior extremitas, & minor extremitas, ſicut eſt in terminis prædictis. Omne enim animal mouetur & ſentit, & habet animam ſenſitiuam, & omne quod mouetur & ſentit, & habet animam ſenſitiuam eſt animal, & omne quod habet animam ſenſitiuam eſt animal, & mouetur, & ſentit, & in talibus terminis fiunt demonſtrationes vniuerſales.

Aliquando autem accidit, quòd medium ſcilicet effectus, puta moueri & ſentire, ſe habent in plus quam minor extremitas, & adhuc fit ſyllogiſmus, ſiue demonſtratio conueniens ſic. Omne quod mouetur & ſentit habet animam ſenſitiuam: ſed omnis homo mouetur & ſentit; ergo omnis homo habet animam ſenſitiuam, homo enim in minus ſe habet, quàm quod mouetur & ſentit. Si verò mediũ in minus ſe habet quã minor extremitas, non fit demonſtratio ſic. Omne quod mouetur & ſentit habet animã ſenſitiuã: omne corpus mouetur, & ſentit, hæc eſt falſa. E contrario autẽ ſi mediũ ſe habet in minus quã maior extremitas, fit demonſtratio ſic. Omne quod mouetur & ſentit, eſt corpus: omne animal mouetur, & ſentit; ergo omne animal eſt corpus.

Si vero

Si verò medium in plus ſe habet quàm maior extremitas,non fit demonſtratio. Ex effectu enim,qui eſt in pluribus cauſis, non poteſt concludi vna cauſa ſic, ex moueri & ſentire non poſſet concludi rationale. Patet ergo de demonſtratione quia, quæ procedit: ab effectu ad concludendum cauſam. Ex cauſis autem remotis procedit demonſtratio quia in eadem ſcientia, & in diuerſis. In eadem ſcientia, ſicut demonſtratio Anacharifidis, quæ talis fuit. Vbicumque non ſunt vites, non ſunt ſibillatores, ſeu cantores: ſed apud Schytas non ſunt vites; ergo apud Schytas non ſunt ſibillatores, ſeu cantores. Certè licet vites ſint cauſa cantus, tamen ſunt cauſa multum remota. Vites enim ſunt cauſa vuarum, vuæ verò ſunt cauſa vini, vinum autem cauſa eſt lætitiæ, & lætitia eſt cauſa cantus, certum eſt quod talis demonſtratio eſt quia. Non enim ſic demonſtrando cognoſcere poſſumus per cauſam immediatam, quare Schytæ non cantant: ſed per multas alias demonſtrationes intermedias factas, & ſic per eam neſcitur propter quid, ſed quia &c.

CAPVT DVODECIMVM.

Quod in demonſtratione aliqua ſunt præcognita ante concluſionem, & aliqua ſunt cognita poſtquam demonſtrata eſt.

AD cognoſcendum autem qualiter fiat demonſtratio quia, in alijs ſcientijs, ſciendum eſt quòd in qualibet demonſtratione in quacumque ſcientia fiat, antequam concluſio demonſtretur, aliquid præſcimus,& aliquid de ea ſcimus poſtquam demonſtrata eſt. Vt enim dictum eſt in demonſtratione ſunt tres termini, ſcilicet ſubiectum, paſſio, & diffinitio vtriuſque, quæ eſt medium, & ſunt in ea prima principia, ſeu dignitates in virtute. Vnde antequam demonſtremus præſcimus de dignitatibus, quia veræ ſunt. Non enim poſſunt complexa diffiniri, cum autem dignitates ſint complexæ,ergo non poſſunt diffiniri. de eis ergo non poſſumus ſcire quid ſunt,nec per conſequens ante demonſtrationem præſcire quid eſt de ipſis: ſed præſcimus de eis quia ſunt,debent enim credi eſſe vera,ita enim ſunt nota lumine naturalis rationis,quod cognitis terminis cognoſcimus,quia vera ſunt,vt ſupra dictum eſt, nec ſcimus de eis propter quid, cum ſint primæ animi conceptiones.

De paſſione autem præſcimus quid eſt, quia diffinitionem habet, quam oportet præcognoſcere antequam fiat demonſtratio. Niſi enim demonſtrator præſciat medium, nunquam ſyllogizabit, medium autem

tem in demonſtratione eſt diffinitio ſubiecti, & paſſionis. De ipſa paſſione autem non poſſumus præſcire quia eſt, ſcilicet eſſe actualis exiſtentiæ ipſius. Cum enim accidentis eſſe ſit ineſſe, præſcire illam ineſſe eſt ſcire ipſius eſſe actualis exiſtentiæ, & ſic antequam demonſtremus eam, sciremus demonſtrationem ipſius. Nam demonſtratio nihil aliud oſtendit, niſi paſſionem ineſſe ſubiecto, vt dictum eſt: hoc autem eſt falſum; non ergo de ea præſcimus quia eſt. De ſubiecto autem præſcimus quid eſt, quia iam oportet præſcire medium, vt dictum eſt, eius autem diffinitio ſimul cum diffinitione paſſionis eſt medium. Præſcimus etiam de ipſo quia eſt, de ipſo enim quod actu non eſt sciri poteſt, & dico eſſe actu tàm in ſe, quàm in ſuis cauſis. Licet enim roſa iam actu non ſit, quia tamen eſt in cauſa ſua, poſſumus de ipſa aliquam paſſionem demonſtrare. Patet ergo quid in demonſtratione præſcimus: quid autem de ipſa ſcimus poſtquam facta eſt.

Ad hoc videndum, nota quod in demonſtratione ſunt præmiſſæ, & eſt concluſio. Præmiſſæ autem vel ſunt primæ in ſcientia, vel ſunt ſecundariæ. Verbi gratia, in ſcientia de animalibus primum principium eſt. Omne corpus animatum ſenſibile mouetur, & ſentit, ſupra iſtud principium nullum inuenitur prius, & vniuerſalitas in eadem ſcientia, niſi dignitates, quæ vt dictum eſt, non actu intrant demonſtrationem, vnde non continentur in eadem ſcientia, ſed in ſcientia communi.

Secundaria verò principia ſunt quæ per prima demonſtrantur; & ſunt primo concluſiones, poſtea in eadem ſcientia ſumuntur, vt principia ad demonſtrandum alia. Verbi gratia, facio primam demonſtrationem ſic. Omne corpus animatum ſenſibile mouetur & ſentit: omne animal eſt tale corpus; ergo omne animal mouetur, & ſentit. Poſtea accipio iſtam concluſionem, & facio eam præmiſſam ſic. Omne animal mouetur, & ſentit: omnis homo eſt animal, ergo omnis homo mouetur, & ſentit. Iſtud dicitur principium ſecundarium. De primis autem principijs in ſcientia ſcitur ſolum, quia ſunt. Si enim ſciretur propter quid ſunt, oportet demonſtrari, quod non poſſet fieri niſi per aliqua priora, non ergo fuiſſent prima: ſed ſuppoſitum eſt, quod erant prima; ergo de eis non poteſt ſciri propter quod ſunt in iſta ſcientia.

Et propter hoc communiter dicitur, quod nulla ſcientia probat ſua principia: ſed ſi probari debent, probantur per ſcientiam ſuperiorem, ſicut naturalis ſcientia probat principia ſcientiæ de animalibus. Eſt enim naturalis de omni corpore mobili. Vel ad minus poſſunt probari per Mathematicam, vel per Dialecticam, quæ ſunt ſcientiæ omnibus communes, & probant principia omnium ſcientiarum: ſed

Mathema-

Mathematica demonſtratiuè, Dialectica verò probabiliter, ſeu opinatiuè.

De ſecundarijs verò principijs in ſcientia ſcitur propter quid. Illa enim alibi probantur, vt dictum eſt. Patet ergo quid in demonſtratione ſcimus de principijs. De concluſione autem in demonſtratione propter quid ſcimus propter quid: in demonſtratione verò quia neſcimus propter quid, quia medium vel non eſt cauſa concluſionis, ſed effectus, vt dictum eſt: vel quia eſt cauſa remota.

Notandum, quod duæ ſcientiæ poſſunt eſſe de eodem ſubiecto, vna formaliter, alia naturaliter, ſicut Geometria eſt de linea formaliter perſpectiua verò eſt de linea non inquantum linea, ſed inquantum eſt viſualis.

Vnde quicumque per principia lineæ inquantum eſt linea, demonſtraret aliquid de linea viſuali, de concluſione illa sciret Geometra propter quid, perſpectiuus verò sciret ſolum quia. Verbi gratia, fiat, talis demonſtratio. Omnis longitudo ſine latitudine, in qua medium non diſcrepat ab extremis, eſt recta: ſed linea tranſiens per tabellas quadratas eſt huiuſmodi longitudo; ergo linea tabellarum quadratarum eſt recta. De iſta concluſione ſcit Geometra propter quid, quia ſcit cauſam rectitudinis linearum: ſed perſpectiuus eam ſupponit, quia ignorat cauſam, & ideo de prædicta concluſione ſcit quia, & non propter quid, & ſic de alijs: & tunc ſcientia inferior vocatur ſubalterna quia, ſcilicet eſt materialis, ſuperior verò dicitur ſubalternans, quia eſt formalis.

Sciendum, quod aliquando contingit ſcientiam ſubalternatam reſpectu alterius ſcientiæ eſſe ſubalternantem, ſicut perſpectiua reſpectu Geometriæ eſt ſubalternata, reſpectu verò ſcientiæ de iride eſt ſubalternans. Cum enim ſcientia de iride ſit pars ſcientiæ naturalis, aſſumit principia perſpectiuæ ad aliquam concluſionem probandam, & ſic de illa concluſione ſolum ſcit, quia, perſpectiua verò propter quid.

Sciendum, quod aliquæ ſcientiæ non habent ſubiectum materialiter ſumptum ſub formali, & tamen in aliqua concluſione accipiuntur principia alterius ſcientiæ, & de illa concluſione ſciunt quia; & non propter quid. Verbi gratia, quod vulnera circularia tardius ſanentur, eſt concluſio in medicina, cuius ſubiectum non eſt ſub ſubiecto Geometriæ, & tamen hæc concluſio probatur per principia Geometriæ, quæ ſunt quòd partes circuli, quia carent angulis, minus ſibi appropinquant: ex hoc ſequitur quod talia vulnera tardius ſanentur. Patet ergo de demonſtrationibus propter quid, & quia &c.

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Quòd ſcientia, quæ eſt per cauſam, & quæ dicit formam eſt certior quam illa, quæ dicit effectum, & quæ dicit materiam.

Dicto de demonſtrationibus, dicenda ſunt aliqua de ſcientijs, quæ ſunt effectus earum. Circa hoc videnda ſunt duo. Primò, quid requiritur ad hoc quod ſcientia ſit certa. Secundo, quid requiritur ad hoc quod ſcientia ſit vna.

Quantum ad primum ſciendum, quod illa ſcientia ſimpliciter dicitur certior, quæ procedit ex notioribus ſimpliciter, & ex notioribus quo ad nos. Dupliciter autem poteſt eſſe aliquid notius alio ſimpliciter. Vno modo cauſa eſt ſimpliciter notior effectu: alio modo forma eſt ſimpliciter notior materia. Principium enim cognoſcendi materiam eſt ex forma, illæ ergo ſcientiæ, quæ dicunt cauſam, & propter quid, ſicut dictum eſt de ſcientijs ſubalternantibus, ſunt certiores illis, quæ dicunt materiam. Vnde certior eſt Geometria, quæ eſt de linea quantum ad ſua principia formalia, quam perſpectiua quæ eſt de linea viſuali, vel ſcientia de triangulo, quam illa, quæ eſt de triangulo æneo. Et quia vt 7. Metaphyſ. dicitur, duplex eſt materia, ſcilicet materia ſenſibilis, vel materia naturalis, & materia intelligibilis, vt continuitas, ideo ſcientia quæ ab vtraque materia abſtrahit, eſt certior illa quæ non abſtrahit niſi ab vna. Geometria enim abſtrahit à materia ſenſibili, & licet tractet de corpore, ſicut & ſcientia naturalis, tamen certior eſt ſcientia naturali, quæ non abſtrahit à materia ſenſibili. Arithmetica autem quæ abſtrahit à materia ſenſibili, & continuitate, quæ vt dictum eſt, materia intelligibilis eſt, ideo certior eſt Geometria.

In triplici enim genere ſunt ſcientiæ certiores. Primò, illæ quæ dicũt cauſam, & propter quid, ſunt certiores eis, quæ dicunt effectum, & quia. Secundò, illæ quæ dicunt formam, ſunt certiores illis quæ concernunt materiam ſenſibilem. Tertiò, illæ quæ ita dicunt formam quòd nec etiam concernunt materiam intelligibilẽ, ſunt certiores eis, quæ talem materiam concernunt. Patet ergo de certitudine ſcientiarum, &c.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Quòd vnitas formalis ſcientiæ ſumitur ab vnitate formali ſubiecti ſecundum rationem ſcibilis.

Qvantum ad ſecundum, ſcilicet quantum ad vnitatem ſcientiæ, ſciendum eſt, quod in ſcientia eſt duo conſiderare; ſcilicet ipſum

subie-

ſubiectum de quo eſt paſſio, & ipſa principia ex quibus fit demonſtratio ad concludendum paſſionem de ſubiecto. Ad hoc autem, quod ſubiectum ſit ſcibile à nobis,oportet quod habeat partes priores ſe.

Vbi nota quod proceſſus ſcientiæ eſt quaſi quidam motus rationis: In motu autem eſt duo conſiderare, ſcilicet principium,& terminum: terminus autē ad quem ſcientia terminatur, eſt ſubiectum, circa quod eſt ſcientia, quia in ſpeculatiuis ſcientijs nihil aliud quæritur, niſi cognitio ſubiecti, ſic in Geometria nihil aliud quæritur niſi cognitio magnitudinis. In practicis autem nihil aliud quæritur quàm conſtructio ipſius ſubiecti,ſicut in ſcientia ędificatoria intēditur cōſtructio domus.

Subiectum ergo eſt terminus talis motus: principium autem talis motus eſt à primis principijs ſubiecti, quæ ſunt propriæ partes eius,ſicut principium proceſſus ſcientiæ naturalis eſt à materia,& à forma.

Vnde ſi quæ res eſt quæ non habeat talia principia priora,ex quibus ratio procedere poſſit,eius non eſt ſcientia ſecundum quod hic ſumitur ſcientia,vt eſt demonſtrationis effectus.

Vnde de ſubſtantijs ſeparatis non poteſt eſſe ſcientia iſto modo ſumpta, quia per ſcientias demonſtratiuas non poſſumus ſcire ipſarū quidditates. Licet enim ſubſtantiæ ſeparatæ ſint per ſeipſas intelligibiles ab intellectu ad hoc proportionato, non tamen congregatur earum notitia qua cognoſcitur quod quid eſt ipſarum per aliqua priora, ſed benè poteſt per ſcientias ſpeculatiuas ſciri de eis an ſint, & quid non ſint,ad ſimilitudinem inuentam in rebus inferioribus, & tunc ad earum cognitionem vtimur poſterioribus, & prioribus, quæ licet ſint poſteriora quo ad naturam,ſunt tamen priora quo ad nos.

Subiectū ergo ſcientiæ, prout hic ſumitur ſcientia,oportet quod habeat partes priores,à quibus fiat proceſſus ad eius cognitionem: & hoc intelligendum eſt de partibus integralibus ſubiecti, ſicut litteræ, & ſyllabæ ſunt partes dictionis,quæ eſt ſubiectum grammaticæ.

Sciendum,quod licet dictum ſit quod terminus ad quē terminatur proceſſus ſcientiæ,ſit ſubiectum non eſt tamen intelligendum,quod ſit terminus vltimus: ſed vltimus terminus ad quem terminatur conſideratio ſcientiæ, eſt vt paſſio ſubiecti manifeſtetur.

His habitis, ſciendum eſt, quod illa ſcientia eſt vna, quæ eſt vnius generis ſubiecti formaliter ſumpti,cuius ſunt partes,& paſſiones,& eadem habet principia prima,non ſimpliciter,ſed in ſcientia: diuerſæ vero ſunt, quæ habent diuerſa principia.

Quod autem vnitas ſcientiæ debeat ſumi ab vnitate ſubiecti, poteſt patere ex dictis: vnitas enim motus ſumitur à termino, ſubiectum autem eſt terminus motus rationis in proceſſu ſcientiæ,vt iam dictum eſt:

tale autem ſubiectum debet eſſe vnum formaliter inquantum huius.

Vbi nota quod quantum ad hoc ſic ſe habet ſuo modo ſubiectum ad ſcientiam, ſicut obiectum ad potentiam: materialis autem diuerſitas obiecti non diuerſificat potentiam, ſed formalis. Sic materialis diuerſitas ſcibilium non diuerſificat ſcientiam, ſed formalis. Sumitur autem ratio formalis ſcibilis, ſicut ratio formalis viſibilis. Formalis autem ratio viſibilis ſumitur à lumine, per quod omnia videntur: etiam formalis ratio ſcibilis ſumitur ſecundum principia ex quibus aliquid ſcitur.

Vnde quantumcunque ſint diuerſa ſcibilia ſecundum ſuam naturam, dummodo per eadem principia ſciantur, ad vnam tamen pertinent ſcientiam: quia non ſunt diuerſa, inquantum ſunt ſcibilia, ſunt enim ſcibilia per ſua principia: ſicut patet quod voces humanæ multum differunt ſecundum ſuam materiam à ſonis corporum inanimatorum, tamen quia ſecundum eadem principia attenditur conſonantia in eis, ideo muſica quæ eſt de vtriſque, eſt eadem.

Et per oppoſitum, ſi ſunt eadem ſcibilia ſecundum naturam, & tamen per diuerſa principia conſiderentur, pertinent ad diuerſas ſcientias, ſicut corpus Mathematicum non ſeparatur ſubiecto à corpore naturali: quia tamen corpus Mathematicum cognoſcitur per principia quantitatis, naturale vero per principia motus, propterea non eſt eadem ſcientia, ſcilicet Mathematica, & naturalis.

Vnitas ergo & diuerſitas ſcientiarum eſt ex vnitate, & diuerſitate formali ſubiecti, quæ formalitas conſiſtit ſecundum rationem ſcibilis, id eſt, ſecundum identitatem, & diuerſitatem principiorum. Et propter hoc idem eſt dicere, habere idem ſubiectum formale, & habere eadem principia, & differre ſecundum principia, quod habere diuerſa ſubiecta formaliter.

Sciendum eſt autem quod principia, de quibus loquimur, ſunt principia, quæ ſunt prima in ſcientia, & ſecundum communitatem dictorum principiorum, ſcientiæ ſunt magis, vel minus communes.

Cognoſcuntur autem prima principia in genere ſcibilis ſecundum diffinitionem ſubiecti, vt dictum eſt. Et ſic patet de vnitate ſcientiarum. Gratias Deo bonorum omnium largitori.

CAPVT

DE SENSV RESPECTV SINGVLARIVM, ET INTELLECTV RESPECTV VNIVERSALIVM.

CIRCA conſiderationem ſenſus, quare ſit ſingularium, & intellectus vniuerſalium, & quomodo vniuerſalia ſint in anima, ſciendum eſt circa primum, quòd ſenſus eſt virtus in organo corporali, intellectus autem eſt virtus penitus immaterialis, & non eſt actus alicuius organi corporalis.

Vnumquodque autem recipitur in aliquo ſecundum modum ſui. Omnis autem cognitio fit per hoc quod cognitum eſt aliquo modo in cognoſcente, ſcilicet ſecundum ſimilitudinem: nam cognoſcens in actu eſt ipſum cognitum in actu. Oportet ergo quòd ſenſus corporaliter recipiat ſimilitudinem rei, quæ ſentitur.

Intellectus autem recipit ſimilitudinem eius, quod intelligit immaterialiter, & incorporaliter. Indiuiduatio autem naturæ communis in rebus materialibus, & corporalibus eſt ex materia corporali ſub determinatis dimenſionibus contenta: vniuerſale autem eſt per abſtractionem ab huiuſmodi materia, & materialibus conditionibus indiuiduantibus.

Patet ergo, quòd ſimilitudo rei quæ recipitur in ſenſu, repræſentat rem ſecundum quod eſt ſingularis: ſed recepta in intellectu, repræſentat rem ſecundum rationem naturæ vniuerſalis. Et inde eſt quòd ſenſus cognoſcit ſingularia, intellectus autem vniuerſalia, quorum ſunt ſcientiæ.

Circa ſecundum ſciendum eſt, quod vniuerſale poteſt capi dupliciter. Vno modo pro ipſa natura communi, vt ſubiacet intentioni vniuerſalitatis: alio modo pro ipſa intentione ſecundum ſe, ſicut album poteſt dici illud cui accidit eſſe album, vel ipſum ſecundum quod iam ſubeſt albedini.

Ipſa autem natura cui accidit intentio vniuerſalitatis, puta, natura hominis, habet duplex eſſe. Vnum quidem materiale, ſecundum quod eſt in materia naturali: aliud autem immateriale, ſecundum quod eſt in intellectu. Primò quidem modo non poteſt ei aduenire intentio vniuerſalitatis, quia per materiam indiuiduatur. Aduenit ergo vniuerſalis intentio, ſecundum quod abſtrahitur à materia indiuiduali: non poteſt autem abſtrahi à materia indiuiduali realiter, ſicut

platonici poſuerunt. Non enim eſt homo, niſi in his carnibus, & in his oſſibus, ſicut Philoſophus probat 7. Metaphyſ.

Relinquitur ergo quòd natura humana nõ habet eſſe præter principia indiuiduantia, niſi in ſolo intellectu. Nec tamen intellectus eſt falſus, dum apprehendit naturam communem præter principia indiuiduantia, ſine quibus eſſe non poteſt in rerum natura. Non enim apprehendit intellectus, quòd natura communis ſit ſine principijs indiuiduantibus: ſed apprehendit naturam communem non apprehendendo principia indiuiduantia, & hoc non eſt falſum. Sicut ſi ab homine albo separetur albedo hoc modo, quòd intellectus intelligat eum non eſſe album, eſſet apprehenſio falſa. Si autem ſic separetur albedo ab homine albo, quòd apprehendatur homo non apprehenſa albedine, non eſſet apprehenſio falſa. Non enim exigitur ad veritatem apprehenſionis, quod qui apprehendit rem aliquam, apprehendat omnia quæ rei inſunt.

Sic ergo intellectus abſque falſitate abſtrahit genus à ſpeciebus inquantum intelligit naturam generis, non intelligendo differentias.

Et ſimiliter abſtrahit speciem ab indiuiduis inquantum intelligit naturam speciei, non intelligendo principia indiuiduantia.

Sic ergo patet, quod naturæ communi non poteſt attribui intentio vniuerſalitatis, niſi ſecundum eſſe quod habet in anima, & in intellectu. Sic ergo ſolum eſt vnum de multis, prout intelligitur præter principia indiuiduantia, & vnum in multis, vt in indiuiduis, vel in inferioribus quæ in ſuperiori ſunt vnum.

Vnde relinquitur quod vniuerſalia ſecundum quod vniuerſalia, non ſunt niſi in anima; ipſæ autem naturæ, quibus accidit intentio vniuerſalitatis, ſunt in rebus. Et propter hoc nomina communia ſignificantia naturas ipſas prædicantur de indiuiduis, non autem nomina ſignificantia intentiones. Sortes enim eſt homo, ſed non eſt species.

DE IN-

DE INVENTIONE MEDII.

QVONIAM principium ſyllogizandi vnamquamque propoſitionem eſt medius terminus, ideo vt poſſimus habere modum ſyllogizandi ad vnamquamque propoſitionem, de inuentione medij termini nunc eſt determinandum.

Cum igitur propoſitionum alia ſit vniuerſalis, alia particularis: & vniuerſalium alia affirmatiua, alia negatiua, de inuentione medij ad ſyllogizandum vniuerſalem affirmatiuam prius eſt dicendum.

Eſt ergo ſciendum, quod ad ſyllogizandum vniuerſalem affirmatiuam ſumendum eſt pro medio id quod ſequitur ſubiectum, & antecedit prædicatum. Cuius cauſa hæc eſt, quia vniuerſalis affirmatiua non ſyllogizatur niſi in primo modo primæ figuræ: ſed in hoc oportet medium antecedere prædicatum propoſitionis ſyllogizando, cum vniuerſaliter ſubijciatur ei, & ſequi ſubiectum eiuſdem, cum vniuerſaliter prædicetur de ipſo. Verbi gratia, ſi hæc propoſitio eſt ſyllogizanda. Omnis homo eſt animal, conueniens medium ipſius eſt riſibile, quia id ſemper ſequitur ſecundum conſequentiam ipſum ſubiectum, & antecedit prædicatum, vt dicatur, omne riſibile eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt animal.

Ad ſyllogizandum vniuerſalem negatiuam ſumendum eſt pro medio id quod ſequitur ſubiectum, & repugnat prædicato, & hoc quo ad ſecundum modum primæ figuræ, & primum ſecundæ: vel quod repugnat ſubiecto, & ſequatur prædicatum, quo ad ſecundum modum ſecundæ figuræ, cuius cauſa hæc eſt: quia vniuerſalis negatiua non ſyllogizatur niſi in tribus modis prædictis, & in duobus primis modis medius terminus ſequitur ad ſubiectum, & repugnat prædicato. In tertio medius repugnat ſubiecto, & ſequitur ad prædicatum. Verbi gratia, ſi hæc propoſitio eſt ſyllogizanda. Nullus homo eſt lapis, conueniens medium ipſius in duobus primis modis eſt riſibile, quia id ſequitur ad ſubiectum, & repugnat prædicato. In tertio vero ſyllogiſmo, conueniens medium eſt inſenſibile, quia id repugnat ſubiecto, & ſequitur ad prædicatum.

Ad ſyllogizandum autem particularem affirmatiuam ſumendum eſt pro medio conſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum, & antecedens ad ſubiectum, & prædicatum. Cuius cauſa hæc eſt: quia particularis affirmatiua non concludit, niſi in prima, & tertia figura, &

vt concludatur in prima, oportet quod mediũ antecedat prædicatum, & ſubijciatur ei, & quod ſequatur ſubiectum cum prædicatur de eo.

Si vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere vtrunque, ſcilicet ſubiectum, & prædicatum cum ſubijciatur vtrique. Verbi gratia, ſi hæc propoſitio eſt ſyllogizanda: Quoddã animal eſt ſubſtantia, conueniens medium eius in prima figura eſt ſenſibile, quia id ſequitur ſubiectum, & antecedit prædicatum.

In tertia vero figura conueniens medium eſt homo, quia antecedit vtrunque, ſcilicet ſubiectum, & prædicatum.

Ad ſyllogizandum autem particularem negatiuam ſumendum eſt pro medio id quod ſequitur ſubiectum, & repugnat prædicato, vel id quod repugnat ſubiecto, & ſequitur prædicatum, cuius cauſa hæc eſt: quia particularis negatiua concluditur in omni figura.

Et ſi concludatur in prima, oportet medium ſequi ſubiectum cum prædicetur de eo, & repugnare prædicato cum remoueatur ab eo.

Si autem concludatur in ſecunda, oportet medium ſequi ſubiectum, & repugnare prædicato quo ad tertium modum, vel repugnare ſubiecto, & ſequi prædicatum quo ad quartum modum.

Si vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere ſubiectum cum ſubijciatur ei, & repugnare prædicato cum prædicatum remoueatur ab ipſo. Verbi gratia, ſi hæc propoſitio eſt ſyllogizanda. Quidam homo non eſt aſinus, conueniens medium eius in prima figura, & etiam in tertio ſecundæ figuræ eſt riſibile quod ſequitur ad ſubiectum, & repugnat prædicato.

In quarto autem ſecundæ figuræ conueniens medium eſt rudibile, quod repugnat ſubiecto, & ſequitur prædicatum.

Conueniens vero medium in tertia figura eſt riſibile, quod antecedit ſubiectum, & repugnat prædicato. Conuertibilia enim antecedunt, & ſequuntur ea, cum quibus ſunt conuertibilia, ideo riſibile antecedit, & ſequitur hominem.

TRA-

TRACTATVS SEXTVS

DE FALLACIIS SOPHISTICIS SECVNDVM ARISTOTELEM ET S. THOMAM.

MAGNA diuini conſilij prouidentia contigit, vt magnus ille Dauid armis Philiſthæi Gigantis, gladio ſcilicet proprio, caput illius abſcinderet, ſimiliter & Iudith prudentiſſima, caput Holofernis, pugione proprio abſtulit, & hi duo gladij in Templo conſecrati Deo, magna veneratione aſſeruari legimus per primum gladium Gigantis ſophiſticas argumentationes per fallacias ordinarias Ariſtotelis intelligimus, & eodem gladio per dictas fallacias omnem vim argumentorum tamquam caput eorum amputari per artem noſtram cum euidentia falſitatis demonſtrabimus; Per aliud vero gladium Holofernis ſignificantur fallaciæ propriæ hæreticorum, quorum inuentores, & auctores ipſi fuerunt, vt teſtatur ſanctus Thomas, & in tractatu de his proprijs fallacijs infra explicabimus, eodemque gladio caput omnium inuentionum Hæreticorum cum euidentia falſitatis auffertur.

1. Reg. 17.

Iudith. 5.

CAPVT PRIMVM.

De Fallacijs.

CVm aliquis ſecum conſiderans ratiocinatur non rectè, præter intentionem hoc accidit, quia nullus ſuiipſius deceptionem intendit; cum autem ad alium ratiocinatur non rectè, contigit aliquando ex intentione ratiocinantis, cum intendit de alio experimentum ſumere, vel victoriam habere ad ſui gloriam. Ratiocinatio, quæ ad ſeipſum eſt dicitur ſyllogiſmus, vel alia ſpecies argumentationis; ratiocinatio vero quæ eſt ad alterum, non ſolum eſt ſyllogiſmus, ſed diſputatio, quia vertitur inter opponentem, & reſpondentem.

CAPVT SECVNDVM.

De diſputatione.

DIſputatio ſecundum S. Thomam, eſt actus ſyllogiſticus vnius ad alterum ad aliquod propoſitum oſtendendum. Actus ponitur pro genere; ſyllogiſticus pro differentia, & inſtrumento ſub quo comprehenduntur; omnes ſpecies argumentationis, & diſputationis, vt imperfectum ſub perfecto; & per hanc differentiam diſtinguitur diſputatio ab actibus corporalibus, vt currere, comedere, &c. & ab actibus voluntarijs, vt amare, & odire quia per ſyllogiſmum denotatur actus rationis. Per alia verba diffinitionis, ſcilicet vnius ad alterum tangitur alia differentia contra ratiocinationem, quæ eſt ad ſeipſum, nam diſputatio eſt inter duas perſonas, vt ſupra dictum eſt. In vltimis verbis diffinitionis, ſcilicet ad propoſitum oſtendendum explicatur alia differentia effectus, termini, & finis proximi à ſyllogiſmo exemplari, quod non proponitur ad aliquod propoſitum oſtendendum, ſed ſolum ad formam ſyllogiſticam formandam.

CAPVT TERTIVM.

De quatuor ſpeciebus diſputationis.

SPecies diſputationis quatuor aſſignantur à S. Thoma; prima eſt doctrinalis, ſiue demonſtratiua, quæ ad ſcientiam ordinatur, procedens exprimis, & veris, & per ſe notis, & proprijs principijs illius ſcientiæ de qua eſt diſputatio, & hæc vertitur inter docentem, & ad diſcentem.

Secunda ſpecies eſt Dialectica diſputatio ex probabilibus procedens, & ad opinionem, vel propoſitum tendens. Dicuntur autem probabilia quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus, aut omnibus, & præcipuis, & maximè notis.

Tertia ſpecies eſt tentatiua quæ ordinatur ad experimentum ſumendum de aliquo per ea quæ videntur reſpondenti, ideoque vnus ex actibus ad ſumendum gradus doctoratus in vniuerſitate complutenſi dicitur tentatiua.

Quarta ſpecies diſputationis dicitur ſophiſtica, vel litigoſa tendens ad gloriam, vt ſapiens eſſe videatur, ideoque dicitur ſophiſtica, & tendens ad gloriam, vt ſapiens eſſe videatur, ideoque dicitur ſophiſtica, ideſt

ideſt apparens ſapientia. Hæc procedit ex his quæ videntur eſſe vera, ſiue probabilia, & non ſunt vel ſimpliciter procedit ex falſis propoſitionibus ſumendo ex his,quæ videntur eſſe veræ,vel in virtute falſarum propoſitionum argumentando, vel per locales argumentationes, quæ ſunt in virtute verarum propoſitionum, ex quibus tota virtus argumentationis pendet vt Verbi gratia. Sortes eſt homo, ergo Sortes eſt animal procedit ex virtute huius propoſitionis de quocumque prædicatur ſpecies,& genus etiam quæ eſt ſimpliciter vera. Sophiſticè autem argumentatur ſic. Sortes eſt animal, ergo Sortes eſt homo, quæ procedit in virtute huius propoſitionis falſæ,ſcilicet de quocumque prædicatur genus,& ſpecies etiam.

CAPVT QVARTVM.

De diſputatione ſophiſtica imparticulari.

INtendit ſophiſta per diſputationem ſophiſticam habere victoriam de aduerſario,cum quo diſputat ſaltem apparentem, quia intendit etiam gloriam vanam; hoc autem facit cum aduerſarium ad aliquod inconueniens ducit quod dicitur finis,terminus,vel meta.

CAPVT QVINTVM.

De metis, vel terminis ſophiſtæ.

Metæ ſophiſtarum quinque ſunt ſecundum S. Thom. Prima eſt redargutio, quæ eſt prænegati conceſſio, & præconceſſi negatio in eadem diſputatione vi argumentationis factæ. Verbi gratia. Negat quis ſe carnes crudas comediſſe.Sophiſticè argumentatur ſic.Quicquid emiſti comediſti; carnes crudas emiſti; ergo carnes crudas comediſti. Si vi huius argumentationis.Reſpondens concedat quod prius negauerat dicitur redargutio, & hic modus argumentationis dicitur elenchus ſi bonus ſit ſyllogiſmus, vel dicitur apparens elenchus ſi videatur,& non ſit,aut ſyllogiſmus, aut contraditio; dicitur autem elenchus ſyllogiſmus contradictionis,ſi autem non in eadem diſputatione, vel vi argumenti, ſed propria voluntate concedat quis negatum, vel neget conceſſum,non eſt redargutio.

Secunda meta ſophiſtæ eſt falſum manifeſtum, vel conceſſum alicuius manifeſti falſi,quod reſpondes concedere cogitur vi argumentationis ſophiſticè, vt omnis canis eſt latrabilis, ſed cæleſte ſidus eſt

canis, ergo cæleſte ſidus eſt latrabilis.

Tertia meta eſt inopinabile, quod eſt contra communem opinionem omnium, vel plurium quod tamen non eſt falſum. Vt ſtellam eſſe maiorem terra, & Regem aliquem diuitem, & felicem eſſe miſerum ſic argumentatur. Quemcumque contingit ab aliquo vinci eſt infelix; ſed Regem talem contingit ab aliquo hoſte vinci, ergo eſt infelix, & miſer.

Quarta meta eſt ſyllogiſmus, ideſt vitium incontextu partium orationis contra regulas artis grammaticæ factum, vt vir alba homines currit argumentatur ſophiſta ſic. Tu ſis hoc, hoc autem eſt lapis; ergo tu ſis lapis, quod grammaticè non dicitur.

Quinta meta dicitur nugatio, ideſt eiuſdem rei ex eadem parte inutilis repetitio; vt homo homo currit, ſi autem idem ponatur in ſubiecto, & in prædicato non eſt nugatio, vt hic homo eſt homo, nec dicitur nugatio cum idem repetitur ad maiorem expreſſionem, vt Deus Deus meus reſpice in me. Argumentatur autem ſophiſta ſecundum hanc metam ſic. Iſte naſus eſt ſimus; ſed ſimus idem eſt quod naſus ſimus; ergo iſte naſus eſt naſus naſus ſimus.

Addit S. Thomas, quod iſta inconuenientia ſupradicta reſpiciunt diuerſas ſcientias, vt redargutio eſt contra Metaphyſicam, quæ conſiderat hoc primum principium, contradictoria non ſunt ſimul vera. Falſum verò eſt contra ſcientiam naturalem, quæ conſiderat res ſenſibiles, in quibus veritas, & falſitas, eſt manifeſta, & contra Mathematicam in qua eſt maxima certitudo veritatis. Inopinabile eſt contra Dialecticam, quæ procedit ex probabilius. Soleciſmus eſt contra Grammaticam. Nugatio contra Rhetoricam, & ſic ſophiſta apparet circa omnia ſciens.

CAPVT SEXTVM.

De modis argumentationis.

ARgumentatio Dialectica habet firmitatem ex loco vero. Sophiſta verò habet apparentem firmitatem ex loco apparenti. Locus autem verus eſt habitudo inferentis ad illatum, quæ dicitur maxima, vel differentia maximæ, vt genus & ſpecies, totum, & pars ex quorum habitudine ſpeciei ad genus ſumitur hæc maxima de quocunque prædicatur ſpecies, & genus etiam, ex qua formatur hoc argumentum. Sortes eſt homo, ergo Sortes eſt animal. Locus autem ſophiſticus conſiſtit in habitudine inferentis ad illatum, ex qua ſumitur aliqua appa-

rens propoſitio,ſed falſa. Vt cognoſco venientem: Coriſcus eſt veniens; ergo cognoſco Coriſcum. Proceditur ab accidente ad ſubiectum virtute huius maximè, quicquid eſt verum de accidente, & de ſubiecto etiam, quæ maxima falſa eſt, ob diuerſitatem accidentis, & ſubiecti; videtur tamen vera propter conuenientiam vtriuſque, & apparet vera propter vnionem accidentis, ad ſubiectum, & ſic fallitur homo; quia apparet quod non eſt; & diſtinguntur loci ſophiſtici, & fallaciæ penes principia motiua, ex quibus apparet firmitas in ſophiſticis argumentis.

CAPVT SEPTIMVM.

De principijs motiuis fallaciarum.

DVobus modis contingunt principia motiua in fallacijs, primo modo ex parte vocis quando conueniunt aliqua diuerſa in vna voce,& nomine, vt canis latrabilis, canis cæleſtis, & marinus,& creditur eſſe vnum in ſe ſicut in voce.

Secundo modo ex parte rei ex eo quod aliquæ res quæ aliquo modo conueniunt videntur eſſe ſimpliciter vnum: Vt ſubiectum,& accidens.

CAPVT OCTAVVM.

De diuiſione fallaciarum.

LOcis ſophiſtici, ſiue fallaciæ diuiduntur in dictione, & extra dictionem, & fallacia in dictione eſt cum ex parte vocis ponitur principium motiuum, ſiue cauſa apparentiæ, vt in nomine canis dictum eſt ſupra. Extra dictionem vero dicitur fallacia, quando principium motiuum, ſiue cauſa apparentiæ eſt ex parte rei.

CAPVT NONVM.

De prima fallacia in dictione ex voce.

QVando vna vox multa ſignificat, & multiplicantur voces, tunc eſt principium motiuum, & cauſa apparentiæ hoc autem contingit tripliciter. Primo actuale cum vna vox in nullo variata multa ſignificat, & dicitur æquiuocatio ſi eſt in vna dictione, vt in nomine canis dictum eſt; ſi vero in vna oratione vox multa ſignificat

dicitur amphibologia, vt liber Ariſtotelis, ideſt ab Ariſtotele factus, vel poſſeſſus.

Secundo dicitur multiplex vox potentialis, quando vna vox aliquo modo ſecundum prolationem variata multa ſignificat, & in dictione contingit ſecundum accentum, vt pendere cum graui accentu, vel acuto multa ſignificat.

In oratione verò eſt ſecundum compoſitionem, & diuiſionem attendendo multipliciter, vt duo, & tria ſunt quinque diuerſa, & multa ſignificat compoſitè, vel diuiſim prolata.

Tertio eſt phantaſticum, & apparens multiplex, quando vna dictio ſecundum rei veritatem, vnum ſignificat, & videtur etiam aliud ſignificare, ſicut homo ſignificat quale, & quid, & videtur ſignificare hoc aliquid, vt dicitur in prædicamentis, & dicitur figura dictionis, ideſt dictionis ſimilitudo. Ex his conſtat quod loci ſophiſtici in dictione ſunt ſex, ſcilicet æquiuocatio, amphibologia, accentus, compoſitio, diuiſio, & figura dictionis.

CAPVT DECIMVM.

De fallacia æquiuocationis.

Aequiuocatio eſt vnius, & eiuſdem nominis diuerſa ſignificatio, fallacia autem æquiuocationis eſt deceptio proueniēs ex eo, quod vnum nomen plura ſignificat; principium autem motiuum huius fallaciæ ſiue cauſa apparentiæ in æquiuocatione eſt vnius dictionis eiuſdem ſimpliciter, & hoc dicitur ad differentiam accentus, in quo non eſt dictio vna ſimpliciter, ſed ſolum in potentia; principium autem motiuum eſſe non exiſtentiæ ſiue defectus eſt diuerſitas rerum ſignificatarum.

Species æquiuocationis ſunt tres; prima eſt, cum vna dictio principaliter plura ſignificat, vt nomen canis, principaliter ſignificat latrabile animal, belluam marinam, & ſidus cæleſte, & formatur ſic paralogiſmus, ideſt apparens ſyllogiſmus. Omnis canis eſt latrabilis, ſed ſidus cæleſte eſt canis; ergo ſidus cæleſte eſt latrabile, non valet: quia in maiori ſignificat canem terreſtrem, & ſic eſt vera, in ſecunda cæleſtem, & ſic eſt uera, ſed non eſt idem terminus medius; ſi autem accipiatur canis, ut idem ſignificans, ſic prima maior eſt falſa; ſi autem in extremitatibus eſt æquiuocatio, uel in altera extremitatum in ſyllogiſmo idem medium bis ſumitur in præmiſſis, & extremitates duæ ſimiliter bis ſumuntur in ſyllogiſmo, ſemel in præmiſſis, & ſemel in concluſione.

ſione. Formatur ſic paralogiſmus in hac ſpecie, Grammatici diſcunt, & sunt scientes; ergo scientes diſcunt. Aequiuocatio eſt in termino diſcere, quia vno modo ſignificat idem, quod intelligere docentem, & ſic scientes diſcunt; alio modo idem eſt diſcere, quod accipere scientiam ab aliquo, & ſic scientes non diſcunt.

Secunda ſpecies æquiuocationis eſt, cum vnum nomen principaliter vnum ſignificat, & aliud metaphoricè, ſiue tranſumptiuè, ſicut ridere principaliter ſignificat actum hominis proprium metaphoricè autem prati floritionem, & formatur ſic paralogiſmus. Omne quod ridet habet os, ſed pratum ridet, ergo pratum habet os. Item omne quod currit habet pedes, ſed Tiber currit, ergo Tiber habet pedes. Fallacia conſiſtit in eo, quod ridere, & currere sumuntur in prima propoſitione propriè, & in minori metaphoricè.

Ad hanc ſpeciem reducitur multiplicitas nominum analogorum, quæ dicuntur secundum prius, & poſterius, vt ſanum dicitur de animali, de vrina, & de dieta, & formatur ſic paralogiſmus, Omne ſanũ habet vitam, sed vrina eſt sana, ergo vrina habet vitam. In prima sumitur sanum pro eo quod ſignificat prius, & propriè. In secunda pro eo quod ſignificat per poſterius, & vt in ſigno, & ſic non sequitur.

Ad has species reducitur etiam multiplicitas propoſitionum, quia propoſitio vnam habet habitudinem per prius, & aliam per poſterius, & formatur ſic Paralogiſmus. In quocumque eſt ſanitas, illud eſt animal, ſed ſanitas eſt humorum adæquatio, ergo humorum adæquatio eſt animal. In maiori propoſitione habet habitudinem accidentis ad ſubiectum. In secunda habitudinem effectus ad cauſam, & ſic non valet. Tertia ſpecies prouenit ex diuerſa conſignificatione, quæ attenditur circa accidentia partium orationis ſecundum tempus, numerum, genus, perſonam, & ſimilia, vt quicumque ſurgebat ſtat, ſedens ſurgebat; ergo ſedens ſtat. In minori ſumitur ſedens præteriti temporis imperfecti, in concluſione temporis præſentis, & sic non valet.

CAPUT UNDECIMUM.

De fallacia amphibologia.

SEquitur videre de amphibologia. Sicut autem æquiuocatio prouenit ex eo quod dictio penitus eadem plura ſignificat, ſic amphibologia ex eo quod vna oratio penitus eadem plura ſignificat, vnde dicitur amphibologia ab amphi quod eſt dubium, & bole quod eſt sententia, & logos ſermo, quaſi dubia ſententia ſermonis. Fallacia aut amphibo-

phibologiæ eſt deceptio proueniens ex eo quod vna oratio penitus eadem plura ſignificat, & dico penitus eadem, ad differentiam orationis quæ compoſita, & diuiſa plura ſignificat.

Cauſæ apparentiæ, ſiue principium motiuū amphibologiæ eſt vnitas orationis plura ſignificantis. Cauſa vero non exiſtentiæ, ſiue principium defectus eſt diuerſitas ſignificationis.

Species autem amphibologiæ ſunt tres. Prima ſpecies prouenit ex eo quod vna oratio principaliter plura ſignificat manente eadem conſtructione propter diuerſam habitudinem conſtructorum, ſicut hæc oratio. Liber Ariſtot. plura ſignificat, ſi ſemper iſtæ duæ dictiones conſtruantur eodem modo, ſed tamen propter diuerſam habitudinem diuerſa ſignificant. Poteſt autem intelligi ſecundum habitudinem effectus ad cauſam, vel poſſeſſi ad poſſidentem, & formatur ſic paralogiſmus. Quicquid eſt Ariſtotelis, poſſidetur ab Ariſtotele: iſte liber eſt Ariſtotelis; ergo poſſidetur ab Ariſtotele. Non ſequitur, quia primo conſtruebatur nominatiuus cum genitiuo in habitudine poſſeſſionis ad poſſidentem, ſecundo in habitudine effectus ad cauſam.

Secūda ſpecies prouenit ex eo, quòd vna oratio plura ſignificat propter diuerſā ordinationē partiū ex eo, quod aliqua dictio poteſt cōſtrui cū alia tranſitiuè, vel intranſitiuè ſicut hic. Quicquid videt aliquis, hoc videt; ſed columnam videt; ergo columna videt. Non ſequitur, quia hæc dictio, hoc conſtruitur cum hoc verbo, videt, tranſitiuè, & eſt accuſatiui caſus, & ſic eſt vera, & eſt ſenſus; Qui videt rem aliquam, eſt videns eam. Alio modo poteſt conſtrui intranſitiuè, & tunc eſt nominatiui caſus, & tunc eſt falſa, & eſt ſenſus. Qui videt rem vnam illa res videt, & ſic procedit concluſio: & ſimiliter hic. Quoſcumque volo me accipere; volo quod ipſi recipiant me; ſed pugnantes volo me accipere; ergo volo quòd ipſi recipiant me. Non ſequitur, quia me, poteſt conſtrui cum hoc verbo accipere tranſitiuè, & intranſitiuè, & in uno ſenſu eſt uera, & in alio falſa. Similiter hic. Quicumque ſunt Epiſcopi, ſunt ſacerdotes: iſti aſini ſunt Epiſcopi; ergo iſti aſini ſunt ſacerdotes. Non ſequitur, quia minor eſt duplex, ex eo quòd Epiſcopi poteſt eſſe nominatiui caſus, & conſtrui intranſitiuè, & ſic eſt falſa, vel poteſt conſtrui tranſitiuè, & ſic eſt genitiui caſus, & eſt uera.

Et eſt attendendum, quod diuerſitas caſuum pertinet ad fallaciam amphibologiæ, quia caſus accidunt dictioni ſecundum quod conſtruitur cum alia dictione: diuerſitas uero aliorum accidentium pertinet ad æquiuocationem, quia alia accidentia accidunt dictioni ſecundum quod in ſe conſiderantur.

Tertia ſpecies eſt, quando una oratio principaliter ſignificat unum,

& aliud

& aliud metaphoricè, ſiue tranſumptiuè, ſicut hæc oratio Littus aratur, principaliter ſignificat littoris ſciſſuram, tranſumptiuè uero operis amiſſionem, & formatur ſic paralogiſmus. Quandocumque littus aratur, tunc terra ſcinditur: ſed quando indocilis docetur, littus aratur; ergo quando indocilis docetur, terra ſcinditur. Non ſequitur propter multiplicitatem prædictam.

CAPVT DVODECIMVM.

De fallacia compoſitionis, & diuiſionis.

SEquitur de fallacia compoſitionis, & diuiſionis in quibus ſicut ſupra dictum eſt, deceptio prouenit ex potentiali multiplici vnius orationis. Dicitur autem vna ratio potentialiter multiplex pro eo quod dictiones eędem diuerſimodè componi poſſunt adinuicem, vel abinuicem diſtingui, ſicut cum dicitur. Quicquid viuit, ſemper eſt, hæc dictio ſemper, poteſt componi cum hoc verbo viuit, vel diuidi ab eodem: & quia oratio per conſtitutionem partium conſtituitur, & ipſæ partes ſe habent ad orationem ſicut materia, compoſitio vero ſicut forma, vbi ſunt ergo eædem partes, ſed non eadem compoſitio, eſt oratio eadem multiplex potentialiter, & materialiter, ſed non formaliter, & actualiter, & propter hoc eſt multiplex potentiale, quia oratio quæ eſt vna formaliter, potentialiter plura ſignificat, & in hoc differunt illæ fallaciæ ab amphibologia, quia in amphibologia ſemper idem eodem ponitur cum eodem, licet non uniformiter, unde eſt eadem compoſitio, & per cōſequens eadem oratio formaliter, & actualiter una eſt ſecundum multiplex actuale; hic autem non eſt actualis unitas, & formalis, ſed ſolum potentialis, quia unum componitur cum diuerſis.

Differunt autem hæ duæ fallaciæ, ſcilicet compoſitionis, & diuiſionis. Quando enim oratio in ſenſu compoſitio eſt falſa, tunc eſt fallacia ſecundum compoſitionem, quando autem in ſenſu diuiſo eſt falſa, tunc eſt fallacia ſecundum diuiſionem. Et nota quod tunc oratio eſt compoſita, quando partes magis debitè ordinantur: & tunc eſt diuiſa, quando partes minus ordinantur.

Cauſa autem apparentiæ, ſiue principium motiuum eſt unitas potentialis orationis plura ſignificantis. Cauſa uero non exiſtentiæ, ſiue principium defectus eſt diuerſitas ſignificationis ſecundum quod intelligitur compoſita, uel diuiſa.

Sunt autem tres modi, ſiue tres ſpecies utriuſque fallaciæ. Primus modus eſt quando aliquod dictum poteſt ſupponere uerbo, uel ratione

totius,

totius, uel ratione partis. Si ratione totius ſupponat, erit oratio compoſita, ſi ratione partis, erit diuiſa oratio, & tunc ſi ſub compoſito ſenſu falſa oratio erit, fallacia eſt compoſitionis. Si autem in ſenſu diuiſo eſt falſa, erit fallacia diuiſionis. Si autem in utroque eſt falſa, uel uera, tunc nulla fallacia eſt, quod etiam in alijs multiplicibus intelligendum eſt: & formatur ſic paralogiſmus. Quemcumque poſſibile eſt eſſe album, poſſibile eſt quod ipſe ſit album, ſed nigrum poſſibile eſt eſſe album, ergo poſſibile eſt quod niger ſit albus. Non ualet, quia illud dictum, nigrum eſſe album, poteſt ſupponere ei quod dicitur poſſibile, uel ratione ſubiecti, & tunc poſſibilitas attribuitur ſubiecto dicti, & eſt modalis de re, & tunc eſt diuiſa & uera, eſt enim ſenſus quod ille qui eſt niger, potentiam habet quod ſit albus: uel poteſt idem ſupponere ratione totius dicti, et ſic eſt modalis de dicto, et eſt compoſita, et falſa, et eſt ſenſus quod hoc dictum, album eſſe nigrum ſit poſſibile, unde eſt fallacia compoſitionis. Et poteſt etiam formari ſic paralogiſmus. Quodcumque eſſe nigrum eſt impoſſibile, ipſum non poteſt eſſe nigrum; ſed album eſſe nigrum eſt impoſſibile; igitur album non poteſt eſſe nigrum. Non ualet, quia minor eſt duplex, ſicut ſupra dictum eſt, et in ſenſu compoſito eſt uera, et in diuiſo eſt falſa, unde eſt fallacia diuiſionis.

2 Secundus modus prouenit ex eo, quod aliquando prædicatum, in quo plura adunantur per coniunctionem copulatiuam, uel diſiunctiuam, poteſt attribui ſubiecto coniunctim, uel diuiſim. Si coniunctim: eſt oratio compoſita: ſi diuiſim, oratio eſt diuiſa, et tunc ſi in ſenſu compoſito oratio eſt falſa, eſt fallacia compoſitionis, ſi in ſenſu diuiſo eſt falſa, eſt fallacia diuiſionis, ut patet in his paralogiſmis. Quicumque numerus componitur ex duobus, et tribus eſt duo tria, ſed quinque non ſunt duo, et tria, ergo quinque non componitur ex duobus, et tribus. Non ſequitur: media enim ſiue minor eſt duplex ex eo quod hoc prædicatum, duo et tria, poteſt intelligi remoueri à ſubiecto diuiſim, et ſic eſt uera. Eſt enim ſenſus, quod quinque nec ſunt duo, nec tria: uel poteſt remoueri à ſubiecto coniunctim, et ſic eſt falſa. Eſt enim ſenſus, quod duo, & tria ſimul iuncta non ſunt quinque: vnde in hoc ſenſu procedit concluſio, vnde eſt fallacia compoſitionis. Et poteſt ſic formari paralogiſmus. Quæcumque ſunt duo & tria, ſunt duo: ſed quinque ſunt duo & tria, ergo quinque ſunt duo. Hæc ſimiliter minor eſt duplex, quia in ſenſu compoſito eſt uera, & in ſenſu diuiſo eſt falſa, unde eſt fallacia diuiſionis. Simile eſt ſi in prædicato ponatur coniunctio diſiunctiua, ſicut hic. Omne animal eſt rationale, uel irrationale: ſed omne animal eſt rationale, ergo omne animal eſt irrationale.

Non

Non ualet, quia prima eſt duplex, eo quod prædicatum poteſt attribui coniunctim ſubiecto, & ſic eſt compoſita, & vera. Eſt enim ſenſus, quod de quolibet animali eſt verum dicere, quod eſt rationale, vel irrationale: vel poteſt attribui diuiſim, & ſic eſt falſa. Eſt enim ſenſus quod altera iſtarum ſit vera. Omne animal eſt rationale, vel omne animal eſt irrationale, cum tamen vtraque ſit falſa, vnde eſt fallacia diuiſionis. Poteſt etiam ſic formari paralogiſmus. Quicquid non eſt rationale: vel irrationale, nec eſt rationale, nec irrationale: ſed non omne animal eſt rationale, vel irrationale; ergo animal eſt quod nec eſt rationale, nec irrationale. Non ſequitur, nam minor eſt in ſenſu diuiſo vera, in ſenſu cōpoſito falſa, vnde eſt fallacia compoſitionis. Eſt autem ſciendum quod quando prædicatum comparatur ad ſubiectum coniunctim tunc coniunctio coniungit terminos, & ſic accipitur in vi vnius propoſitionis, quia duo termini coniunctim accepti ſumuntur vt vnum prædicatum, & cum ſimul attribuantur ſubiecto, ſubiectum erit etiam vnum: ex vno autem ſubiecto, & vno prædicato fit vna oratio. Quando vero termini in prædicato poſiti copulato, vel diuiſo diuiſim ſubiecto attribuuntur, ſic accipiuntur, vt duo prædicata, & per conſequens, ut duo ſubiecta eis reſpondentia, & ſic intelliguntur quaſi duæ orationes per coniunctionem copulatiuam, uel disiunctiuam.

Tertius modus eſt, quando vna dictio poteſt coniungi diuersis dictionibus in locutione poſitis: erit autem tunc ſecundum hoc compoſita oratio, quando coniungitur cum dictione cui magis apparet, uel apta nata coniungi: diuerſa vero, quando ab ea diſiungitur, ſicut in hoc paralogiſmo patet. Quod poteſt unum ſolum ferre, plura poteſt ferre, ſed quod ſolum unum poteſt ferre, non poteſt niſi unum ferre, ergo quod non poteſt niſi unum ſolum ferre, poteſt plura ferre. Non ualet: nam prima eſt duplex ex eo, quod hæc dictio. ſolum, poteſt coniungi cum hac dictione, poteſt, cum qua magis uidetur coniungi, & ſic eſt compoſita, & falſa. Eſt enim ſenſus, quod ille qui non poteſt portare niſi unum ſolum pondus, poteſt plura portare, uel poteſt diuidi ab hoc uerbo poteſt, & coniungi cum hac dictione ferre, & ſic eſt diuiſa, & uera. Eſt enim ſenſus, quod ille qui modo poteſt ferre unum ſolum pondus, poteſt quandoque plura ferre, unde eſt fallacia compoſitionis. Item, Quicumque uiuit, ſemper eſt: iſte aſinus uiuit: ergo ſemper eſt. Non ſequitur: nam prima eſt duplex ex eo, quod hoc aduerbium, ſemper, poteſt componi cum uerbo, eſt, cum quo magis uidetur componi, & ſic eſt compoſita, & falſa: uel diuidi ab eo, & componi, cum hoc uerbo, uiuit, & ſic eſt diuiſa, & uera, unde eſt fallacia compo-

ſitionis, è contrario eſt fallacia diuiſionis, vt patet in his paralogiſmis, quocumque vides hunc percuſſum, illo percuſſus eſt: ſed oculo vides hunc percuſſum, ergo oculo percuſſus eſt. Non valet, quia minor eſt duplex, eo quod iſte ablatiuus, oculo, poteſt componi cum hoc verbo, vides, cum quo magis videtur componi, & ſic eſt compoſita & vera: vel diuidi ab eo, & componi cum hoc participio, percuſſum, & ſic eſt diuiſa, & falſa, vnde eſt fallacia diuiſionis. Item; Quicumque eſt hodie natus, hodie primo incœpit eſſe: ſed tu es hodie natus: conſtat enim quod hodie es, & es natus; ergo hodie cœpiſti eſſe. Non valet, quia minor eſt duplex, ex eo quod hoc aduerbium, hodie, poteſt componi cum hoc verbo, es, & ſic eſt compoſita, & vera: vel cum hoc participio, natus, & ſic eſt diuiſa, & falſa.

Et eſt notandum, quod obliqui, & aduerbia magis videntur determinare verbum quam participium, & magis verbum principale, quam ſecundarium, quod implicatur in ſubiecto. Cum enim dicitur: Quicumque currit, mouetur, mouetur eſt verbum principale, currit ſecundarium in ſubiecto implicatum.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De fallacia accentus.

SEquitur de fallacia accentus. Accentus autem ſecundum quod hic ſumitur, eſt modus pronuntiandi aliquam dictionem. Fallacia autem accentus eſt deceptio proueniens ex eo, quod aliqua dictio diuerſimodè pronunciata diuerſa ſignificat. Sicut enim fallacia ſecundum compoſitionem, & diuiſionem eſt eadem oratio materialiter, diuerſificata ſecundum formam: ita hoc eſt eadem dictio materialiter diuerſificata ſecundum diuerſum modum pronuntiandi, & ideo ſicut ibi eſt potentialis multiplicitas orationis, ita eſt hic potentialis multiplicitas dictionis.

Cauſa apparentiæ huius fallaciæ eſt materialis vnitas dictionis: cauſa non exiſtentiæ eſt diuerſitas ſignificationis, ſiue dictionis diuerſimodè pronuntiatæ.

Sunt autem quatuor modi huius fallaciæ, ſecundum quod quatuor modis contingit diuerſificari modos pronuntiandi dictionem. Primo namque variatur per diuerſos ſonos, ſiue accentus qui ſunt tres, ſcilicet accentus grauis, acutus, & circumflexus. Accentus acutus, ſiue sonus eſt qui acuit, ſiue eleuat ſyllabam, ſicut patet in media ſyllaba cum dicitur Martinus, media ſyllaba acuitur, ſiue eleuat: Grauis autem accentus

centus eſt,qui deprimit syllabam, & deponit, ſicut patet in media syllaba huius dictionis Dominus,& vltima ſyllaba huius dictionis Lucas. Circumflexus vero accentus eſt, qui acuit syllabam, & poſtea deprimit, vt Ro.

Primus ergo modus huius fallaciæ eſt, qui prouenit ex eo quod aliqua dictio poteſt pronuntiari graui accentu, vel acuto, vel circumflexo. Acuto vt patet in hoc paralogiſmo. Quoſcumque iuſtum eſt pendere, iuſtum eſt pati pœnam: ſed bonos viros iuſtum eſt pendere; ergo bonos viros iuſtum eſt pati pœnam. Non ſequitur, quia in prima pendere ſumebatur prout fertur acuto accentu, in ſecunda, vt fertur graui, & ſic idem eſt pendere, quod donare pœnam.

Secundo modo, variatur modus pronuntiandi accentus ſecundum diuerſa tempora, quæ ſunt duo, ſcilicet productio in ſyllaba longa, & correptio in ſyllaba breui.

Secundus quidem prouenit ex eo quòd aliqua ſyllaba alicuius dictionis poteſt corripi, vel produci, vt patet in hoc paralogiſmo. Omnis populus eſt arbor; ſed aliqua gens eſt populus; igitur aliqua gens eſt arbor. Non valet, quia hæc dictio populus, aliud ſignificat ſecundũ quod prima ſyllaba eius producitur, quia ſic ſignificat arborem quandam, & aliud secundum quod corripitur, quia ſic ſignificat gentem.

Tertio modo, variatur modus pronuntiandi dictionem secundum diuerſitatem ſpiritus, qui quidem diuerſificatur ſecundum aſperum, vel lene: aſper quidem ſpiritus deſignatur per hanc figuram, h. lenis vero ſpiritus eſt, quando ſine aſpiratione ſyllaba profertur.

Tertius modus huius fallaciæ prouenit ex eo quod ſyllaba poteſt leniter, vel aſperè proferri, vt patet in hoc paralogiſmo. Quicquid amatur, hamo capitur: ſed vinum amatur; igitur vinum amatur; igitur vinum capitur. Non valet, quia primo, amatur, profertur aſperè, poſtea leniter. Similiter hic. Omnis ara eſt in templo: ſtabulum porcorum eſt hara; igitur ſtabulum porcorum eſt in templo. Non ſequitur, quia hoc nomen, ara, primo profertur leniter, poſtea aſperè.

Quartus modus prouenit ex eo, quod aliquid poteſt proferri vna dictio, vel plures, vt hic. Tu es qui es: ſed quies idem eſt quod requies; ergo tu es requies. Non ſequitur, quia hæc dictio, quies, primo ſumitur, vt oratio, poſtea vt dictio vna. Similiter hic. Quicquid Deus fecit inuite fecit inuitus: ſed racemos fecit in vitæ, igitur racemos fecit inuitus. Non ſequitur, quia primo hæc dictio, inuite, ſumitur, vt vna dictio, poſtea vt plures.

Patet ergo ex prædictis, quòd accentus denominatus ſecundum quod ab eo denominatur hæc fallacia, communior eſt quam accen-

rus qui diuiditur per grauem, & acutum, & circumflexum, quia comprehendit ſub ſe, & hunc accentum, & alios tres, vt dictum eſt.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De fallacia figuræ dictionis;

SEquitur de fallacia figuræ dictionis. Figura dictionis, prout hic ſumitur, eſt ſimilitudo vnius dictionis ad alteram, ſicut aliquid dicitur ad figuram alterius factum, quod ei aſſimilatur: vnde fallacia figuræ dictionis eſt deceptio proueniens ex eo quod aliqua dictio ſimilis alteri dictioni videtur habere eundem modum ſignificandi, cum tamen non habeat, vt hæc dictio, homo, videtur ſignificare hoc aliquid propter ſimilitudinem quam habet cum nominibus ſignificantibus ſubſtantias particulares, & ſic in hac fallacia non eſt multiplex verum ſed phantaſticum: quia vna dictio non ſignificat plura ſecundum veritatem rei, ſed habet vnum modum ſignificandi, & videtur habere alium.

Cauſa apparentiæ eſt ſimilitudo vnius dictionis cum alia dictione: cauſa vero non exiſtentiæ eſt diuerſus modus ſignificandi.

Sunt autem tres modi huius fallaciæ. Primus modus prouenit ex eo quod dictio quæ ſignificat maſculinum, ſumitur ac ſi ſignificaret fœmininum, vel neutrum, aut è conuerſo, vt patet in hoc paralogiſmo. Quæcumque ſubſtantia coloratur albedine, eſt alba: Papa coloratur albedine; igitur Papa eſt alba. Non ſequitur, quia cum Papa ſit nomen viri, non ſignificat fœminam, licet videatur propter ſimilitudinem quam habet cum nominibus fœmininis; vnde non debet ſumi ſub diſtributo fœminino. Vel ſic; Omnis ſubſtantia colorata albedine; eſt alba: ſed vir eſt ſubſtantia colorata albedine; igitur vir eſt alba. Non ſequitur, quia maſculinum mutatur in fœmininum.

Secundus modus prouenit ex eo quòd aliqua dictio quæ ſignificat per modum vnius prædicamenti, poteſt videri ſignificari per modum alterius, ſicut hic. Quicquid heri vidiſti hodie vides: album heri vidiſti; ergo album hodie vides. Non valet, quia mutatur quid in quale, vel, quantumcumque emiſti, comediſti; ſed carnes crudas emiſti; ergo carnes crudas comediſti. Non ſequitur, quia mutatur quantum in quale, vel ſic. Quotcumque digitos olim habuiſti, modo habes: ſed olim habuiſtis paruos; ergo modo habes paruos. Non ſequitur, quia mutatur quantum quantitatis diſcretæ, in quantum quantitatis continuæ. Et eſt notandum, quod non facit fallaciam figuræ dictionis

mutatio

mutatio prædicamentorum quantum ad rem ſignificatam, ſed quantum ad modum ſignificandi. Albedo enim ſignificat qualitatem, ſed ſignificat eam per modum ſubſtantiæ, quia non ſignificat eam vt inhærentem. Album autem ſignificat eam per modum qualitatis, quia ſignificat eam vt inhærentem. Et contingit hoc quando quale quid mutatur in hoc aliquid, vnde hic non eſt fallacia figuræ dictionis. Quicquid heri vidiſti, hodie vides: albedinem heri vidiſti; igitur albedinem hodie vides. Erit autem fallacia figuræ dictionis, ſi procedatur ſic. Album heri vidiſti; ergo album hodie vides.

Tertius modus prouenit ex eo quod aliqua dictio quæ ſignificat quale quid ſignificare videtur hoc aliquid, & dicitur ſignificare quale, quid quod ſignificat naturam communem generis, vel ſpeciei ſecundum quod pertinet ad tertium modum, hoc aliquid vero ſignificat ſubſtantiam particularem. Si autem ſumatur quale quid ſecundum quod pertinet ad genus qualitatis, ſicut mutare quale quid in hoc aliquid pertinet ad ſecundum modum, vt album currit: Sortes eſt albus, ergo Sortes currit, & formatur ſic paralogiſmus. Sortes eſt alter ab homine: & ipſe eſt homo; igitur eſt alter à ſeipſo. Non ſequitur, quia proceditur ab homine ad Sortem, & ſic mutatur quale quid in hoc aliquid: & ad hunc modum reducitur omnis deceptio proueniens ex mutata ſuppoſitione terminorum, vnde cum dicitur, Homo eſt ſpecies. Sortes eſt homo; igitur Sortes eſt ſpecies. Hic proceditur à ſimplici ſuppoſitione ad diſcretam, quæ mutat quale quid in hoc aliquid.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De fallacijs extra dictionem.

SEquitur de fallacijs extra dictionem, quæ in hoc differunt à fallacijs in dictione, vt ſupra dictum eſt, quia in fallacijs in dictione principium motiuum, ſiue cauſa apparentiæ eſt ex parte vocis, in fallacijs autem extra dictionem eſt ex parte rei. Sicut enim in fallacijs in dictione deceptio prouenit ex eo, quod unum nomen plura ſignificans accipitur ac ſi ſignificaret unum, ita in fallaciijs extra dictionem deceptio prouenit ex eo quod aliquæ res aliquo modo conuenientes, uel differentes accipiuntur, ut eædem ſimpliciter, uel diuerſæ.

Sunt autem fallaciæ extra dictionem ſeptem, quarum prima eſt ſecundum accidens, ſecunda ſecundum quid & ſimpliciter, tertia ſecundum ignorantiam elenchi, quarta ſecundum petitionem principij, quinta ſecundum conſequens; ſexta ſecundum non cauſam ut cauſam,

ſeptima

ſeptima ſecundum plures interrogationes ut unam. Accipiuntur autem hæ fallaciæ ſecundum quaſdam generales entium conditiones. Nam ens aliud eſt per ſe, & aliud per accidens, & ſecundum hoc accipitur fallacia accidentis. Item, ſecundum perfectum, & imperfectum accipitur fallacia ſecundum quid & ſimpliciter. Secundum autem oppoſitum, & non oppoſitum eſt fallacia ſecundum ignorantiam elenchi. Secundum vero idem & diuerſum eſt fallacia petitionis principij. Secundum vero prius & poſterius eſt fallacia conſequentis. Secundum cauſam, & cauſarum eſt fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam. Secundum autem vnum, vt multa eſt fallacia ſecundum plures interrogationes, vt vnum.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De fallacia accidentis.

DIcendum eſt ergo primo de fallacia accidentis. Vbi ſciendum, quòd accidens hic accipitur prout diſtinguitur contra per ſe. Per ſe autem dicitur ineſſe aliquid alicui, quòd ineſt ei ſecundum rationem propriæ diffinitionis: præter hoc autem quicquid ineſt alicui, dicitur ineſſe per accidens, vnde ad hoc quod eſt ineſſe per ſe, aut per accidens, tripliciter aliquid poteſt ſe habere. Quædam enim ſunt, quæ omni modo ſunt eadem ſecundum ſubſtantiæ rationem, vt veſtis, & indumentum, & in his eſt ſolum per ſe, & nullo modo per accidens. Quædam ſunt, quorum vnum eſt omnino extraneum à ratione alterius, vt album, & homo, & in iſtis eſt ſolummodo per accidens, & nullo modo per ſe. Quædam vero ſunt, quorum vnum ad alterius rationem aliquo modo pertinet, licet non ſint omnino eadem ſecundum diffinitionem, ſicut ſe habet ſuperius, & inferius: nam ſuperius ponitur in diffinitione inferioris, tamen non eſt omnino eadem diffinitio inferioris, & ſuperioris, vt animalis, & hominis, cum diffinitio inferioris addat ſuper diffinitionem ſuperioris, & ſimile eſt de proprio, & de ſpecie: nam ſpecies ponitur in diffinitione proprij, non tamen ſpecies, & proprium ſunt omnino idem in diffinitione, & in his eſt quodammodo per ſe, & quodammodo per accidens, inquantum partim ſecundum diffinitionem conueniunt, & partim differunt.

In his ergo quæ primo modo ſe habent, neceſſe eſt quod quicquid verum de vno ſit, ſit etiam verum de alio, eo quòd talia ſunt penitus eadem ſecundum rem, & differunt ſecundum nomen ſolum, vnde in his non contingit eſſe fallaciam accidentis; ſed in omnibus alijs non eſt ne-

eſt neceſſarium quòd quicquid eſt verum de vno, ſit etiam verum de altero. Et ideo ſi ex hoc quod aliquid eſt de vno verum, concludatur eſſe verum de altero, eſt fallacia accidentis. Contingit autem quandoque, vt quod eſt verum de vno, concludatur eſſe verum de altero, ſcilicet, quando aliquid attribuitur uni ſecundũ quod eſt idem alteri: tunc enim quod ineſt uni, & alteri inerit. Si uero attribuitur uni ſecundum quod eſt ab altero diuiſum, non inerit alteri: ſi autem ut non diuerſum ab altero, erit & alterius ſicut ſi album attribuatur animali inquantum eſt idem homini, oportet quod conueniat homini. Si autem animali ut eſt diuiſum ab homine, non oportet quod conueniat homini, & ſi concludatur ineſſe erit fallacia accidentis, ſicut ſi dicatur; Animal eſt quadrupes, homo eſt animal; igitur homo eſt quadrupes. Quadrupes enim non prædicatur de animali, ut animal eſt homo, ſed ſecundum quod eſt ab homine diuerſum: unde patet quod in prædicto argumento medium diuerſimodè accipitur. Nam primo accipiebatur ſecundum quod erat diuerſum ab homine, ſed in ſecundo ſecundum quod eſt idem homini, & ideo quando eſt fallacia accidentis, ſemper eſt diuerſa acceptio medij. Dico autem diuerſam acceptionem medij eſſe, quando medium ſecundum quod conuenit cum una extremitatum, eſt diuerſum ab alia. Fallacia accidentis eſt deceptio proueniens ex eo quòd aliquid ſignificatur ſimile utrique eorum quæ ſunt aliqualiter per accidens unum. Ex quo patet quòd in fallacia accidentis ſemper inueniuntur tres termini ſicut in ſyllogiſmo, quorum duo per accidens aliquo modo coniunguntur qui quidem ſe habent ſicut medium, & minor extremitas: tertium uero quod aſſignantur utrique ineſſe, eſt maior extremitas.

Cauſa uero apparentiæ in hac fallacia eſt unitas quædam, & identitas eorum quæ per accidens quodammodo coniunguntur: cauſa uero exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem. Nam ſicut dicit Philoſophus in 1. elenchorum, fallacia accidentis fit ex eo quod aliquis non poteſt iudicare idem, & diuerſum, unum, & multa.

Sunt autem tres modi huius fallaciæ. Primus modus prouenit ex eo quod proceditur ab accidente ad ſubiectum, uel è conuerſo, ſicut hic. Cognoſco Coriſcum: Coriſcus eſt ueniens; igitur cognoſco uenientem. Non ſequitur quia ueniens, & Coriſcus ſunt unum per accidens, & non per ſe. Vnde non ſequitur quod quicquid eſt uerum de uno, ſit uerum de alio. Hoc enim fallit, quando aliquid eſt uerum de uno ſecundum quod eſt diuerſum ab altero, ſicut hic, cognoſco Coriſcum. Coriſcum enim non ſubiacet cognitioni ſecundum quod eſt idem uenienti: unde patet quod eſt diuerſificatio medij, & ſic eſt fallacia accidentis.

dentis. Similiter hic, Iſte canis eſt tuus, & eſt pater; igitur eſt tuus pater. Canis enim & pater ſunt vnum per accidens; vnde non ſequitur quod quicquid eſt verum de vno, ſit verum de alio; ſecundum enim quod canis eſt pater, non conuenit ei eſſe tuum.

Secundus modus eſt, quando illud quod conuenit ſuperiori, concluditur in inferiori, vel è conuerſo, ſicut hic. Homo & animal eſt animal, & animal eſt genus; igitur homo eſt genus. Non ſequitur ſuperius enim & inferius aliquo modo ſunt vnum per accidens, licet alio modo ſint vnum per ſe: vnde ex dictis patet, quod ſi idem verificatur de vno eorum ſecundum quod idem eſt alteri, neceſſe eſt de altero verificari, & ſecundum hoc ſumuntur argumenta dialectica à genere, & ſpecie, ſiue à ſuperiori ad inferiora: quod autem verificatur de vno eorum ſecundum quod differt ab altero, non oportet de altero verificari, tunc autem eſt variatio medij, & fallacia accidentis, ſicut eſt in propoſitio. Nam eſſe genus non prædicatur de animali, ſecundum quod eſt idem homini, ſed ſecundum quod ab eo differt, ſicut ſuperius ab inferiori. Similiter eſt hic. Triangulus eſt figura: ſed proprietas trianguli eſt habere tres angulos; igitur eſt proprietas figuræ. Non ſequitur, quia triangulus & figura non ſunt omnibus modis idem, vnde non oportet, quod verificatur de vno, de altero verificari. Similiter eſt hic. Sortes eſt alius ab homine: ipſe autem eſt homo; igitur eſt alius à ſe.

Tertius modus prouenit quando proceditur à ſpecie ad proprium vel è conuerſo, ſicut hic: Homo eſt riſibilis, ſed riſibile eſt proprium; igitur homo eſt proprium, vel homo eſt ſpecies. Non ſequitur, quia riſibile & homo non ſunt omnino idem ſecundum diffinitionem, & ideo aliquo modo vnum ſe habet ad alterum per accidens, & extraneum, & propter hoc non eſt neceſſe, quod quicquid verificatur de vno, verificetur de altero. Et eſt ſciendum quod non eſt inconueniens, ſi in aliquibus prædictorum paralogiſmorum ſint aſſignatæ duæ fallaciæ, ſcilicet figuræ dictionis, & accidentis: quia ſecundum quod prouenit deceptio ex ſimilitudine dictionis, eſt fallacia figuræ dictionis: ſecundum vero quod prouenit ex conuenientia rerum, fallacia accidentis eſt. Homo enim & Sortes quantum ad rem conueniunt, & quantum ad nomen ſimilitudinem habent.

Sciendum eſt etiam, quod ſicut fit paralogiſmus accidentis ex propoſitionibus cathegoricis, ita ex hypotheticis, ex eo quòd medium diuerſimodè ſumitur, prout, ſcilicet comparatur ad vnam extremitatem, eſt diuerſum ab alia, ſicut hic. Si nullum tempus eſt, dies non eſt, per locum à toto in quantitate. Et ſi dies non eſt, nox eſt per locum ab

oppo-

oppoſitis; ergo ſi nullum tempus eſt, nox eſt: ſed ſi nox eſt, aliquod tempus eſt; igitur ſi nullum tempus eſt, aliquod tempus eſt. Patet ergo quod illud medium, quod eſt, diem non eſſe, eſt diuerſum ab eo quod eſt noctem eſſe, ſecundum quod ſequitur ad hoc quod eſt nullum tempus eſſe. Ex hoc enim eſt quod diem non eſſe, non ſequitur noctem eſſe, niſi ſuppoſito tempore, ſecundũ quod ſequitur ad hoc quod eſt nullum tempus eſſe, ſuppoſito tempore, ſicut ex hoc quod eſt videntem non eſſe, ſequitur cæcum eſſe ſuppoſito animali quod eſt natum videre.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De fallacia ſecundum quid, & ſimpliciter.

SEquitur de fallacia ſecundum quid, & ſimpliciter. Simpliciter autem hic dicitur, quod nullo modo addito dicitur, vt cum dicitur: Sortes eſt albus, vel Sortes currit. Secundum quid autem dicitur, quod cum aliquo addito dicitur, vt iſte currit benè, vel Sortes eſt albus ſecundum dentem. Hoc autem quod additur, dupliciter ſe habet ad id cui additur. Nam quandoque non diminuit de ratione eius cui additur: & tunc poteſt procedi ab eo, quod eſt ſecundum quid ad hoc quod eſt ſimpliciter, vt cum dicitur. Iſte currit velociter, igitur currit. Velocitas enim nihil diminuit de ratione curſus, & eſt in prædicto argumento locus à parte in modo. Quandoque vero id quod additur diminuit aliquid de ratione eius cui additur, vt cum dicitur. Aethiops eſt albus ſecundum dentem. Nam hæc determinatio, dentem, diminuit aliquid de ratione eius quod dicitur albus. Non enim poteſt dici albus, niſi qui totus eſt albus, vel ſecundum plures, & principaliores partes & ideo ſi concludatur, Aethiops eſt albus dentem; ergo eſt albus, eſt locus ſophiſticus, vel fallacia, ſecundum quid & ſimpliciter, eſt deceptio proueniens ex eo quod dictum ſecundum quid accipitur ac ſi eſſet dictum ſimpliciter.

Cauſa apparentiæ in hac fallacia eſt conuenientia eius quod eſt ſecundum quid, ad id quod eſt ſimpliciter; cauſa vero non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem.

Sunt autem quinque modi huius fallaciæ. Et primus modus eſt, quando determinatio addita habet oppoſitionem ad illud cui additur, vt in hoc argumento. Cæſar eſt homo mortuus, ergo eſt homo. Non ſequitur; nam eſſe hominem mortuum, habet oppoſitionem ad hominem, eo quod viuum eſt de ratione hominis, cum homo ſit animal,

& animal eſt ſubſtantia animata ſenſitiua: & ſic patet quod hæc determinatio, mortuus, tollit hominis rationẽ. Similiter. Iſte eſt bonus latro; igitur eſt bonus: nam bonum per ſe ſuppoſitũ, oppoſitionem habet ad latrocinium. Similiter hic. Mendax dicit verum dicendo ſe dicere falſum; ergo dicit verum. Non ſequitur: nam dicere verum opponitur ei quod eſt dicere falſum, & è conuerſo.

Secundus modus prouenit ex eo quod aliqua determinatio addita pertinet ad animæ actum. Nam aliqui actus poſſunt eſſe circa exiſtentiam, & circa non exiſtentiã, ſicut hic. Chymera eſt animal opinabile, igitur chymera eſt animal. Non ſequitur: nam opinabile additum animali, diminuit de eius ratione. Similiter hic. Cæſar eſt in memoria hominum; igitur Cæſar eſt. Similiter hic. Tu habes felicitatem in tua voluntate; igitur habes felicitatem.

Tertius modus eſt, quando determinatio addita ſignificat aliquid in potentia eſſe, ſicut hic. Ouum potentialiter eſt animal; ergo eſt animal. Non ſequitur: nam eſſe in potentia diminuit de ratione eius quod eſt eſſe ſimpliciter.

Quartus modus eſt, quando determinatio addita ſignificat partem, ſicut hic. Aethyops eſt albus dentem; ergo eſt albus. Non ſequitur, quia eſſe ſe in parte diminuit de ratione eius quod eſt eſſe ſimpliciter. Sciendum tamen quod ſi à parte ſit natum denominari totum, non accidit fallacia, vt patet in hoc proceſſu. Iſte eſt criſpus ſecundum capillos; ergo eſt criſpus. Benè ſequitur, quia homo denominatur criſpus ſecundùm capillos; & hic modus ſe extendit ad alias partes, ſcilicet loci, vel temporis, vel aliorum totorum. Si verò aliquid additur toti in loco mediante parte in loco, à qua parte totum non eſt natum denominari, accidit fallacia in his proceſſibus, vt, Hæc diæta eſt bona in locis ægrotatiuis; ergo eſt bona. Non ſequitur, quia hoc quod dicit in locis ægrotatiuis, ſignificat partem in loco. Similiter eſt de toto, & parte in tempore, ſicut hic. Bibere vinum eſt malum ægrotanti; ergo eſt malum, & eadem ratio eſt in omnibus ſimilibus.

Quintus modus eſt, quando determinatio addita cogit terminum, cui additur, ſtare materialiter, ſicut hic. Sapiens vult amittere malum; ergo vult malum: Non ſequitur: nam amittere malum non dicit malum ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Similiter hic; Fur vult ſumere bonum; igitur vult bonum, & eſt eadem ratio in alijs ſimilibus. Sic ergo patet ex dictis, quod hæc fallacia prouenit ſecundum rationem perfecti, & imperfecti. Nam determinatio diminuit, eo quod ſignificat aliquid eſſe imperfectè.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De fallacia ſecundum ignorantiam elenchi.

SEquitur de fallacia ſecundum ignorantiam elenchi. Eſt autem elenchus ſyllogiſmus contradictionis, qui quandoque eſt vnus, quandoque duo. Vnus quidem quando concludit contradictoriam alterius propoſitionis prius datæ, ſicut ſi detur aliquod animal eſſe incorruptibile, & procedatur ſic: Omne compoſitum ex contrarijs eſt corruptibile; omne animal eſt huiuſmodi; ergo omne animal eſt corruptibile. Hæc enim concluſio eſt contradictoria propoſitionis datæ. Duo enim ſyllogiſmi conſtituunt elenchum, quando ex duobus ſyllogiſmis concluditur contradictoriè, ſicut ſi ſupradicto ſyllogiſmo contraponatur alius talis ſyllogiſmus. Nullum beatum eſt corruptibile: & aliquod animal eſt beatum; igitur aliquod animal non eſt corruptibile. Quia igitur de ratione elenchi eſt ſyllogiſmus, & contradictio, ideo quicquid eſt contra diffinitionem ſyllogiſmi, & contradictionis eſt contra diffinitionē elenchi. Et ideo cum in qualibet fallacia defectus accidat propter hoc quod aliquid omittitur de diffinitione ſyllogiſmi, & contradictionis, ideo omnis fallacia reducitur ad ignorantiā elenchi ſicut ad generale principium. Quia vero in diffinitione elenchi ponitur contradictio quaſi differentia quæ conſtituit speciem, ideo specialiter omiſſio eorum quæ ad contradictionem requiruntur, ignorantiam elenchi conſtituit ſecundum quod eſt fallacia ſpecialis. Sed quia fallacia eſſe non poteſt ſi apparentia deſit, oportet ad hoc quod circa contradictionem ſit fallacia, vt ſit apparens contradictio, & cum hoc aliquid ad veritatem contradictionis deſit. Apparens autem contradictio eſſe non poteſt niſi ſit vnius & eiuſdem, quia niſi ſit tibi vnum & idem, non videbitur eſſe contradictio, vt dicendo: Homo currit, aſinus non currit. Ex vera contradictione non poteſt deficere niſi ex defectu vnius, & eiuſdem: vnde hoc obſeruato ex defectu aliquorum quæ ad contradictionem requiruntur fit fallacia. Eſt autem contradictio oppoſitio vnius, & eiuſdem non rei tantum, ſed rei, & nominis ſimul, ſecundum idem ad idem ſimiliter, & in eodem tempore. Fallacia autem ſecundum ignorantiam elenchi eſt deceptio prouèniens ex eo quod non obſeruantur ea quæ ſunt neceſſaria ad diffinitionem elenchi, & præcipuè ex parte contradictionis, vnde dicitur ignorantia elenchi, quia accidit deceptio ſolum per hoc quod diffinitio contradictionis ignoratur.

Cauſa autem apparentiæ in hac fallacia eſt ſimilitudo apparens contradictionis deficientis ad contradictionem perfectam: cauſa vero non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem.

Modi huius fallaciæ ſunt quatuor. Primus peccat contra hanc particulam ad idem, vt hic: Duo ſunt duplum ad vnum, & non ſunt duplum ad tria, igitur ſunt duplum; & non duplum. Non ſequitur, quia omiſſo hoc quod eſt eſſe ad idem, non eſt contradictio.

Secundus autem peccat contra hanc particulam, ſecundum idem, ſicut hic. Hoc eſt duplum ad illud ſecundum longitudinem, & non eſt duplum ſecundum latitudinem; ergo idem eſt duplum, & non duplum. Non ſequitur quia omittitur hæc particula, ſecundum idem, quæ requiritur ad contradictionem.

Tertius peccat contra hanc particulam, ſimiliter, ſicut hic: Cælum mouetur circulariter, & non mouetur ſurſum, & deorſum; ergo mouetur, & non mouetur. Non ſequitur quia omiſſio huius particulæ ſimiliter tollit contradictionem.

Quartus eſt contra hanc particulam, in eodem tempore, ſicut hic: Domus eſt clauſa in nocte, non eſt clauſa in die; ergo eſt clauſa, & non eſt clauſa. Non ſequitur, quia diuerſitas temporis impedit contradictionem.

Et eſt ſciendum, quod hæc fallacia conuenit cum fallacia ſecundum quid, & ſimpliciter in hoc, quia in vtraque proceditur ab eo quod dicitur cum determinatione ad id quod dicitur ſimpliciter. Sed hæc eſt differentia, quia in fallacia ſecundum quid & ſimpliciter determinatio diminuit de ratione eius, quod eſt ſimpliciter eſſe, quod non de neceſſitate accidit in hac fallacia: ſed hæ determinationes additæ diminuunt de ratione contradictionis. Benè enim ſequitur. Hoc eſt duplum ad illud ſecundum latitudinem; igitur eſt duplum ad illud: non tamen ſequitur, quod ſit contradictio ſi ad diuerſa referatur. Patet etiam ex dictis quod hæc fallacia prouenit ſecundum generalem entium contradictionem, quæ eſt oppoſitio: nam eſt omnis contradictionis principium.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De fallacia petitionis principij.

SEquitur de fallacia petitionis principij. Principium hic dicitur principale propoſitum. Tunc igitur aliquis petit principium, quando aliquis petit ſibi concedi principale propoſitum, quod de-

bet

bet probare: quod quidem ſi ſub eodem nomine petat, nulla ſit fallacia, ſed petens videbitur deridendus, ſicut ſi velit probare, homo currit, & petit eandem ſibi concedi. Si vero petat id quod vult probare ſub alio vocabulo, poterit eſſe fallacia, & tunc propriè petit illud quod eſt in principio, ideſt illud quod in ſe continet principale propoſitum. Fallacia ergo petitionis principij eſt deceptio proueniens ex eo quod idem aſſumitur ad probationem ſuiipſius ſub alio vocabulo.

Cauſa ergo apparentiæ in hac fallacia eſt diuerſitas apparens. Similitudo concluſionis eſt ex præmiſſis, cauſa vero non exiſtentiæ eſt identitas earundem.

Sunt autem modi huius fallaciæ quinque. Primus modus eſt, quandò diffinitum petitur ad diffinitionis probationem, vel è conuerſo, vt ſi debeat probari quòd homo currit, & petatur concedi, quod animal rationale mortale currat, quo conceſſo arguatur ſic: Animal rationale mortale currit; igitur homo currit: hæc nulla probatio eſt, quia ſimiliter dubitatur de præmiſſa, & concluſione.

Secundus modus eſt, quando vniuerſale petitur ad probationem particularis, vt ſi debeat probari quod omnium contrariorum eadem eſt diſciplina, & aſſumatur iſta; Omnium oppoſitorum eadem eſt diſciplina; ergo omnium contrariorum eadem eſt diſciplina: hæc præmiſſa non eſt magis nota quam concluſio.

Tertius modus eſt, quando petũtur omnia particularia ad probationẽ vniuerſalis, vt ſi debeat probari, quod omniũ oppoſitorũ eſt eadem diſciplina, & aſſumatur iſta; Omnium contrariorum eſt eadem diſciplina: omnium priuatiuè oppoſitorum eadem eſt diſciplina, & ſic de alijs; igitur omnium oppoſitorum eſt eadem diſciplina: hæc etiam concluſio in præmiſſis petitur.

Quartus modus eſt, quando petitur diuiſim, quod debet probari coniunctim, vt ſi debeat probari, quod medicina ſit ſcientia ſani & ægri, & ſumatur ita: Medicina eſt ſcientia ſani, & medicina eſt ſcientia ægri; ergo medicina eſt ſcientia ſani & ægri: hic etiam petitur id quod deberet probari.

Quintus modus eſt, quando petitur vnum correlatiuorum ad probationem alterius, vt ſi debeat probari quod Socrates ſit pater Platonis, & ſumatur ita, Plato eſt filius Socratis; igitur Socrates eſt pater Platonis: hic etiam petitur quod deberet probari ab alijs verbis. Et eſt ſciendum, quod hæc fallacia non peccat contra vim illatiuam argumentandi, quia benè ſequitur concluſio datis præmiſſis, cum ſeruetur debita habitudo inferentis ad illatum, ſed peccat contra probationem argumenti: nam probatio debet eſſe magis manifeſta, quod hic non obſer-

obſeruatur, vnde hic non accidit deceptio ex eo, quod concluſio non infertur ex præmiſſis, cum illationes prædictæ ſint ſecundum locos dialecticos: ſed accidit deceptio ex eo quod petitur idem concedi ac ſi eſſet diuerſum: vnde ſi in præmiſſis modis argumentandi accipiantur præmiſſæ ex eo quod ſint magis notæ, & non quaſi petitæ, non erit argumentum ſophiſticum, ſed dialecticum. Patet autem ex prædictis, quod hæc fallacia prouenit ſecundum idem & diuerſum, prout non diſcernitur inter ea.

CAPVT VIGESIMVM.

De fallacia conſequentis.

SEquitur de fallacia conſequentis. Conſequens autem vt hic ſumitur, eſt quod ſequitur ad antecedens in propoſitione conditionali, vt cum dicitur. Si Sortes eſt homo; eſt animal: Sortem eſſe animal eſt conſequens, Sortem vero eſſe hominem eſt antecedens. Eſt ergo fallacia conſequentis deceptio proueniens ex eo quod conſequens æſtimatur eſſe idem cum antecedente omnino. Ex hoc enim contingit aliquem credere quod ſi conſequens ſequitur ad antecedens, ita è conuerſo antecedens ſequatur ad conſequens: vnde patet quod hæc fallacia conſequentis in duabus conſiſtit conſequentijs, quarum vna eſt vera, & altera falſa, ſicut ſi dicatur. Si aliquis currit, mouetur: ſed Sortes mouetur; igitur Sortes currit. Hæc enim conſequentia. Si Sortes currit mouetur, quæ primo ponitur, eſt vera: ſed iſta ad quam proceditur eſt falſa. Si mouetur, igitur currit. Vbi vero tantum ponitur vna conſequentia, non eſt fallacia conſequentis: vnde ſi dicatur, Sortes eſt animal, igitur Sortes eſt homo, non eſt fallacia conſequentis ex modo argumentandi, ſed magis fallacia accidentis. Nam ſicut fallacia conſequentis prouenit ex eo, quod conſequens exiſtimatur omnino eſſe idem cum antecedenti cum nõ ſit; ita fallacia accidentis prouenit ex eo quod prædicatum exiſtimatur omnino idem eſſe ſubiecto: vnde hæc fallacia denominatur à conſequendo, illa autem ab accidendo, quod eſt inhærere: Et inde eſt quod quando proceditur argumentando ſolum ab aliqua cathegorica, per quam ſignificatur aliquid ineſſe, eſt fallacia accidentis, qũando ab aliqua conditionali eſt fallacia conſequentis: & ideo Philoſophus dicit, quod fallacia accidentis eſt in vno, & fallacia conſequentis in pluribus, ſcilicet conſequentijs: & ex hoc etiam patet quod in conſequentijs conſequens eſt aliquo modo pars accidentis: Nam omne quod ſequitur, aliquo modo accidit: ſed non omne quod accidit,

accidit, ſequitur. Non enim ſequitur; Si eſt homo, eſt album, ſit vera, quod ly homo ſit albus: & ideo vbicumque eſt fallacia conſequentis aliter ordinatis terminis, poteſt fieri fallacia accidentis, ſed non conuertitur.

Cauſa apparentiæ in hac fallacia eſt conuenientia conſequentis cum antecedente: cauſa vero non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem.

Sunt autem modi huius fallaciæ duo. Primus modus procedit ex conſecutione magis communis ad minus commune, ſiue magis commune ſit genus, ſiue accidens, vt patet in his paralogiſmis. Si aliquid eſt aſinus, eſt animal; ſed tu es animal; igitur tu es aſinus, non ſequitur. Non enim conſequentia prius poſita conuertitur. Similiter hic. Si aliquid eſt mel, eſt rubeum: ſed fel eſt rubeum; igitur fel eſt mel. Similiter hic. Si aliquis eſt fur, errat de nocte, ſed tu erras de nocte; igitur tu es fur. In his enim omnibus putatur conſequentia conuerti, quæ non conuertitur, vnde eſt fallacia conſequentiæ. Si autem ſumantur propoſitiones cathegoricæ in eiſdem terminis eſt fallacia accidentis, ſicut aſinus eſt animal: tu es animal: igitur tu es aſinus, & hæc. Mel eſt rubeum, & fel eſt rubeum; igitur mel eſt fel.

Secundus modus eſt quando proceditur à conſequentia oppoſiti ad ſimilem conſequentiam in alio oppoſito, vt ſi dicatur. Si aliquid eſt generatum, habet principium: ſed anima non eſt generata; igitur anima non habet principium, ſed ſemper fuit, non ſequitur. Eſt enim in oppoſitis duplex conſequentia, vna in ipſo, altera in contrario. In ipſo quidem eſt conſequentia, quando ſicut ad antecedens ſequitur conſequens, ita ad oppoſitum antecedentis ſequitur oppoſitum conſequentis, vt, Si eſt iuſtum, eſt bonum; igitur ſi eſt iniuſtum, eſt malum. Conſequentia è contrario eſt, quando ſicut ad antecedens ſequitur conſequens, ita ad oppoſitum conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis, vt, Si eſt homo, eſt animal; igitur ſi non eſt animal, non eſt homo. In oppoſitis enim ſecundum affirmationem, & negationem non eſt conſequentia in ipſo, ſed in contrario: & ideo quando proceditur in huiuſmodi oppoſitis, ac ſi eſſet conſequentia in ipſo, eſt fallacia conſequentis, ſicut in exemplo patet. In his autem terminis eſt fallacia accidentis cathegoricis propoſitionibus ſumptis. vt ſi dicatur ſic. Omne generatum habet principium: ſed anima non eſt generata; igitur non habet principium.

Et eſt ſciendum, quód ſicut primus modus peccat cótra conſequentia procedendo à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis, ita ſecundus peccat procedendo à deſtructione antecedentis ad deſtructionem conſequentis. Eſt autem contrario modo procedendum, ſcilicet

ſcilicet à deſtructione conſequentis ad poſitionem antecedentis. Patet enim quod hæc fallacia prouenit ſecundum rationem prioris & poſterioris. Et nota quod quoddam conſequens eſt in plus ſuo antecedente, & quoddam in minus. Conſequens in plus eſt in terminis vniuerſalibus, ſicut cum dico: Homo eſt, ergo animal eſt. Conſequens in minus eſt, ſicut totum in quantitate, & eius pars, vt cum dicitur: Omnium oppoſitorum eadem eſt diſciplina; ergo omnium contrariorum.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

De fallacia ſecundum non cauſam, vt cauſam.

SEquitur de fallacia ſecundum non cauſam, vt cauſam. Cauſa autem hic dicitur quod eſt cauſa inferendi, ſecundum quod præmiſſæ dicuntur cauſa concluſionis eſſe. Eſt ergo fallacia ſecundum non cauſam, vt cauſam, quando inter præmiſſas ex quibus ſequitur concluſio, ponitur propoſitio aliqua quæ nihil ad concluſionem operatur, & ſic non eſt cauſa. Tamen ad hoc quod fiat fallacia, oportet, quod videatur eſſe cauſa, quod quidem fit per hoc quòd conuenit cum alijs propoſitionibus, quæ ſunt cauſæ concluſionis in terminis. Ex hoc autem quod propoſitio quæ non eſt cauſa, ſumitur vt cauſa, non prouenit aliqua deceptio, niſi quando ex concluſione reditur ad præmiſſas, & intermittitur aliqua præmiſſarum, quod quidem fit in syllogiſmis ad impoſſibile, in quibus per hoc quod cõcluſio eſt impoſſibilis, oſtenditur aliquam præmiſſarum impoſſibilem fuiſſe. Et ideo hæc fallacia non habet fieri, niſi in huiuſmodi syllogiſmis. In syllogiſmis enim oſtenſiuis, in quibus aliud directè oſtenditur, ad nullum inconueniens duci poteſt reſpondens, ſi ſumatur in præmiſſis aliqua propoſitio quæ non eſt cauſa concluſionis, ac ſi eſſet cauſa.

Eſt ergo cauſa apparentiæ in hac fallacia conuenientia propoſitionis, quæ non eſt cauſa cum illis quæ ſunt cauſæ. Cauſa veræ non exiſtentiæ eſt defectus habitudinis debitæ inter propoſitionem inferentem, & propoſitionem illatam. Formatur autem ſecundum hanc fallaciam hoc modo paralogiſmus: Putas ne anima & vita ſunt idem? quo dato proceditur ſic. Anima & vita ſunt idem, & mors & vita ſunt contraria, & generatio, & corruptio ſunt contraria: ſed mors eſt corruptio; ergo vita eſt generatio; igitur viuere eſt generari, quod eſt impoſſibile. Nam qui viuit non generatur, ſed iam generatus eſt; ergo & primum fuit impoſſibile, ſcilicet quod anima & vita ſint idem: Non ſequitur, quia iſta propoſitio. Anima & vita ſunt idem, quæ accipieba-

tur in

tur in præmiſſis, non fuit cauſa concluſionis impoſſibilis; quod ex hoc patet, quia ea remota, adhuc ſequitur concluſio, vnde per hoc quòd concluſio eſt impoſſibilis, non poteſt oſtendi quod prædicta propoſitio ſit impoſſibilis, ſed quòd magis iſta ſit impoſſibilis ex qua ſequitur quæ eſt iſta, mors & vita ſunt contraria, ex huius enim falſitate ſequitur falſitas in concluſione. Mors enim & vita non ſunt contraria, ſed opponuntur, vt priuatio & habitus. Patet ergo quod hæc fallacia peccat contra rationem cauſæ & cauſati.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

De fallacia ſecundum plures interrogationes, vt vnam.

SEquitur de fallacia ſecundum plures interrogationes vt vnam. Eſt autem idem ſecundum ſubſtantiam, enuntiatio, propoſitio, interrogatio, & concluſio: ſed dicitur enuntiatio ſecundum quod ſignificat ſimpliciter aliquid eſſe, vel non eſſe. Interrogatio ſecundum quod ſub dubitatione proponitur. Propoſitio ſecundum quod ſumitur ad alterius probationem. Concluſio vero ſecundum quod ex alijs probatur: & ideo ſicut enuntiatio eſt vna, vel plures, ita interrogatio, propoſitio, & concluſio. Eſt autem enuntiatio vna, in qua dicitur vnum de vno, vt homo eſt animal, vel eſt albus. Enuntiatio vero plures, quando dicuntur plura de vno, vt Sortes eſt albus, & muſicus, vel vnum de pluribus, vt Socrates & Plato ſunt albi, uel plura de pluribus, ut Sortes, & Plato ſunt albi, & muſici.

Sciendum eſt autem, quod quando plura prædicantur de vno, ex quibus fit vnum per ſe, eſt enuntiatio vna, vt cum dicitur. Homo eſt animal rationale mortale: nam ex partibus diffinitionis fit vnum per ſe, quod eſt de natura ſpeciei. Si autem plura prædicantur, ex quibus fit vnum per accidens, tunc eſt enuntiatio plures, ut cum dicitur Sortes eſt homo albus, ex homine enim & albo, fit unum per accidens.

Prouenit ergo hæc fallacia ex hoc, quòd ad interrogationem quæ eſt plures, datur vna reſponſio, eo quod ſub vno modo interrogandi proponitur, vt ſi dicatur: Putas ne Sortes & Plato currunt? ex eo enim quod ſimul interrogatur de duobus, videtur eſſe vna interrogatio cum ſint plures.

Cauſæ apparentiæ in hac fallacia eſt vnitas ex parte modi interrogandi: cauſa vera non exiſtentiæ eſt pluralitas interrogationis.

Modi autem huius fallaciæ ſunt duo. Primus modus eſt, quando interrogatio eſt plures, eo quod vnum de pluribus in ſingulari prædica-

tur, & è conuerſo. Sicut hic: Putas ne homo; & aſinus ſunt animal rationale mortale? Si dicam ſic, procedatur ſic. Homo & aſinus ſunt animal rationale mortale; igitur aſinus eſt animal rationale mortale, &c. Si dicatur quod non, procedatur ſic. Homo & aſinus non ſunt animal rationale mortale; igitur homo non eſt animal rationale. Deceptio enim hæc prouenit, quia ad interrogationem prædictam cum ſit plures, non eſt danda vna reſponſio, vt dicam ſimpliciter ſic, vel non, ſed duæ, vt dicatur ſic. Homo eſt animal rationale, & aſinus eſt animal irrationale, vel non eſt animal rationale. Similiter hic. Putas ne tu es homo & aſinus? ſi dicatur non, igitur tu non es homo; ſi dicatur ſic, concludatur, ergo tu es aſinus. Similiter hic. Putas ne Aethyops eſt homo albus? ſi dicatur quod ſic, concludatur; ergo eſt albus: ſi dicatur quod non, concludatur; ergo non eſt homo.

Secundus modus eſt, quando interrogatio eſt plures ex eo quod plura ſubijciuntur, vel prædicantur in plurali numero, ſicut hic. Putas ne mel & fel ſunt dulcia? ſi dicatur non, concludatur; igitur mel non eſt dulce: si sic dicatur, concludatur; igitur fel eſt dulce. In omnibus enim his non eſt una reſponſio, ſed plures, ut ſic. Mel eſt dulce, & fel non eſt dulce. Patet ergo quòd hæc fallacia prouenit ſecundum vnum & multa. Et hæc de fallacijs dicta ſufficiant.

TRA-

TRACTATVS SEPTIMVS

DE PROPRIIS FALLACIIS HAERETICORVM

QVAE AB IPSIS INVENTAE SVNT, ET VSITATAE.

NON ſolum Lucifer diabolus mendax ab initio, Ioan. 8. fuit author omnium hæreſum, vt ſupra ex ſacra Scriptura docuimus in 3. Tractatu; ſed etiam fuit inuentor omnium fallaciarum, quæ per diuerſa ſophiſmata vſitatæ fuerunt ſemper ab hæreticis, & de nouo confinxit, & adinuenit alias fallacias aliaque ſophiſmata, ad ſimplices, & ignorantes decipiendos, & ad obnubilandam veritatem Catholicam.

CAPVT PRIMVM.

De fallacijs proprijs hæreticorum ſecundum ſanctum Ambroſium.

IMprimis ſanctus Ambroſius lib. de Incarnatione Domini, cap. 9. ſic teſtatur de inuentione nouæ fallaciæ Arrianorum his verbis: Inuenerunt Arriani nomen ingeniti in Patre, & Dialectico more concedi ſibi poſtulant, vt quod lectum non ſit, pro lecto vſurpent, produnt ſe contentionis ſtudia afferre, non cognitionem quærere veritatis: nam in ipſa Dialectica magis eſt contentio de diſputationis argutijs, quam de examine veritatis. Hæc eſt enim Dialecticorum gloria, ſi videantur expugnare verbis, & refellere veritatem: Diaboli verò eſt in ſuis hæreticis non ſolum refellere veritatem, ſed fallere eos qui veritati nituntur. Hæc diuus Ambroſius.

Et in prologo ſuper Lucam comparat hæreticum tineæ, quia ſcindit veſtimentum vt Arrius, qui ſeparat à Deo Verbum, & Photinus qui ſeperat à Deo Chriſtum: tinea enim eſt Chriſtum agnoſcere ſine Diuinitatis fide, aut corporis Sacramento; omne autem quod inter ſe

diuiditur ſicut Sathanæ regnum non poteſt eſſe perpetuum; & iuxta hanc fallaciam diuiſionis, quotidie nouas fallacias diuiſionis, nouatores inueniunt.

Et in cap. 6. Lucæ ſic diuus Ambroſius. Hæreticus diues in verbis pauper in viribus, ridet in iniurijs calumniando: erit autem tempus, cum riſus ſuos lugeat. Ecce aliam fallaciam verborum, & irriſionum.

Et in lib. 7. ſuper Lucam cap. 9. vocat diuus Ambroſius hæreticos *Luc 9.* vulpes, de quibus Chriſtus: Vulpes foueas habent. Sic diuus Ambroſius. Fallax quippe animal, & inſidijs ſemper intentum, rapinæ fraudem exercet, nihil tutum, nihil ocioſum, nihil patitur eſſe ſecurum, quod inter ipſa hoſpitia hominum prædam requirat: hæreticum autem vulpi comparat Chriſtus, quia eum excludit. Vulpes enim plenum fraudis eſt animal, foueam parans, & in fouea ſemper latere deſiderans: ita ſunt hæretici, qui domum ſibi parare non norunt, ſed circumſcriptionibus ſuis alios decipere conantur, vt fraudulenta vulpis gallinæ *Matt. 23.* Euangelicæ cum pullis ſuis dolum ſemper intendens. Hoc animal nun- *Ad Tit. 3.* quam manſueſcit, & ideo Apoſtolus dicit, hæreticum deuita, neque *Iudic. 15.* vlli vſui eſt aut cibo vtile, latrat, ſed vocem non habet: quia verbum veritatis negat, ad præſens ore liber, ſed in futurum vinctis caude facibus, ſui finis ſignificat incendium. Ecce fallaciam circumſcriptionis, & ſimulationis, & fraudis in verbis, & in operibus.

Et in epiſtolam ad Rom. cap. 1. Quid eſt quod cum ſcriptis illos corrigat Apoſtolus, & à carnali ſenſu abſtrahat, præſentiã ſui neceſſariam dicat, vt gratiam illis ſpiritalem miniſtret, cum ea quæ ſcribit ſpiritalia ſint? niſi quia aliter dicta ad aliud ſolent rapi, ſicut ab hæreticis fit. In his verbis diuus Ambroſ. Frequentem fallaciam hæreticorum docet: quia quæ in ſacra Scriptura aliter dicta ſunt, ad ſuos errores rapiunt.

Et ſuper Apocal. cap. 14. Deus defenſores Eccleſiæ orthodoxos Patres, ex filijs ipſius Eccleſiæ elegit, quos flumine ſapientiæ ſuæ replens, per eorum doctrinam omnes hæreſes ab Eccleſia ſua extirpauit, qui etiam maximam copiam librorum ediderunt, quibus omnes hæreſes quæ fuerunt, & quæ eſſe poterant destructæ ſunt, & multi ſunt qui multas blaſphemias mente concipiunt, & non audent proferre manifeſtè; ne per iſtorum doctrinam turpiter conuincantur. Ecce aliam fallaciam nouatorum hæreticorum, qui plus erroris concipiunt quam explicant.

Pſal. 38. Et in Pſalm. 38. ſuper illa verba: Et tabeſcere feciſtis ſicut araneam animam meam, & vanè conturbatur omnis homo. Comparat diuus Ambroſ. argutum, & induſtrium araneæ, quæ diuturna eſſe non poteſt, ſed

teſt, ſed

reſt, ſed citò ſcinditur, atque opus eius omne diſſoluitur: non enim ſupra ſolidum aliquod firmamentum locatur, ſed in vano ſuſpenditur. Quid argutius? quid ſolicitius aranea? quæ operi ſuo diebus ac noctibus ſemper intendit, nec vllo ſumptu, vllaque impenſa conficit veſtimentum, ſed vanum eſt omne quod fecerit: ſic omnis hæreticus qui doctrinam ſuam ſupra Chriſti fundamentum, & Eccleſiæ Catholicæ veritatem non conſtituit, vanè ipſe turbatur, & in ipſo ſuæ improbitatis molimine operis ſui ruina conuoluitur: & verè de omnibus hæreticis dici poteſt illud Iſaiæ 59. Telas araneæ texuerunt in ſuis fallacijs, *Iſai. 59.* & fallacibus argumentis, & in eis muſcam capere poſſunt, id eſt vitioſum hominem, perfectum verò ſupplantare non poſſunt, vt docet diuus Ambroſ. ſuper Pſalm. 118. Octonario 11. in fine.

CAPVT SECVNDVM.

De fallacijs proprijs hæreticorum notatis à Sancto Hieronymo Eccleſiæ Doctore.

PRima eſt per clamorem Iſaiæ 22. Clamoris plena Vrbs doctrina *Iſai. 22.* hæreticorum, ait diuus Hieronymus non in ſenſu, ſed in multiloquio, & clamore verſatur: & ideo quia multi ſunt decepti, dicitur: Vrbs plena, & exultans per ſuperbiam, inflati enim tument, & ſacratiora ſe inueniſſe gloriantur. Ecce fallaciam multiloquij.

Secunda fallacia eſt, quando hæretici ſuper lateres fundant errores ſuos, vt prædixit Iſaias cap. 65. & diuus Hieronym. explicat his verbis: *Iſai. 65.* Sacrificant hæretici ſuper lapides, vel ſuper lateres, quando errores ſuos, & exquiſita mendacia Dialectica nituntur arte fundare, & firmare, & in quadrum extruere, & nullam retinent veritatem, ſed vmbræ ſimilitudine tranſeunt atque intereunt, & in diaboli tenebris commorantur, ſpeluncas diligunt ſuorum ſophiſmatum: Et Chriſtus vocat *Marc. 11* eas ſpeluncas latronum, quia ſpoliant ſimplices veritate, & interficiunt eos. Eſt fallacia per ſophiſmata.

Tertia fallacia hæreticorum eſt, quod ingentia pollicentur, & ſimulacrum vani cultus de ſuo corde confingunt; iactant grandia, & ad decipiendos ſimplices quaſi aureis ſenſibus, & eloquijs argenti ſplendore fulgentibus imperitorum obſtringunt aciem, & à ſuis inuentoribus ſublimantur, in quibus nulla eſt vtilitas, & quorum cultura propriè gentium eſt; & eorum qui ignorant Deum; & dictas promiſſiones comparat diuus Hieronym. Vmbræ, quia non ſunt verè. Sic diuus Hieron. ſuper Ierem. cap. 10. Eſt fallacia iactantiæ promiſſionis.

Quarta

Quarta fallacia eſt, ſimulatio veritatis fidei, vt ſimplices decipiant, & fideles peruertant; ſic diuus Hieron. ſuper cap. 12. Ierem. Fallacia ſimulationis veritatis.

Ierem. 12.

Quinta fallacia eſt, explicare Scripturas non ſecundum veritatem, ſed ſecundum prauum ſenſum, & hæc explicatio cõparatur per diuum Hieron. vuæ acerbæ, de qua Ierem. cap. 31. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcent; & infra: Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius, non cibi auſteritate, ſed vitio dentium, dicit diuus Hieronymus ſuper dictum locum Ierem. 31. Eſt fallacia praui ſenſus.

Ierem. 31.

Sexta fallacia eſt cum hæretici ſequuntur ſpiritum ſuum in inuentis nouis dogmatibus, & ſic impingunt in tenebras, & cœci cœcos ducunt in foueam, ait diuus Hieron. ſuper Ierem. cap. 13. quia ſolem iuſtitiæ perdiderunt. Fallacia inuentionis nouorum dogmatum.

Septima fallacia eſt, cum doloſè & fraudulenter legunt Scripturam ſacram, non merentur intelligere veritatem, ait diuus Hieron. ſuper Ierem. cap. 14. nec eam audire à Catholicis Doctoribus, qui tentantes eos audiunt. Fallacia fraudulente lectionis ſacræ Scripturæ.

Octaua fallacia eſt, dulcia promittentes, quæ vertuntur in amaritudinem, & comparantur oleo peccatoris, dè quo Pſalmiſta 140. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, & venenato ore mella promittunt; Hieron. ſuper Oſeam cap. 7. Fallacia dulcedinis amaritudinis.

Pſal. 140.

Nona fallacia eſt, diuidere ſenſum legitimum ſacræ Scripturæ, & alteri non cohærenti aſſuere, in quo Dominicam tunicam contextam per totum ſcindere volunt, cum nullam recipiat ſciſſionem, quia à Spiritus ſancto contexta eſt; ſimilis fallacia eſt cum legis obſeruantiam, Euangelicæ gratiæ aptare conantur. Sic diuus Hieronymus ſuper Ierem. cap. 16. Fallacia diuiſionis verborum, & ſenſus ſacræ Scripturæ.

Decima fallacia eſt, cum abutuntur teſtimonijs Scripturarum in prauum ſenſum & malum: Et hoc vacat diuus Paulus adulterare verbum Dei: Et Ezechiel vocat hanc fallaciam meretricem ſuper omnes meretrices, quia docent nihil nocere luxuriam, immò licitam, & neceſſariam eſſe. Sic diuus Hieron. ſuper Ezechielem c. 16. Fallacia abuſionis ſacræ Scripturæ.

Ezech. 16

Vndecima fallacia eſt, abſcondere, & operire mendacia in dogmatibus ſuis, vt ſagittent in obſcuro rectos corde; & omnes hæretici aſſumunt verba ſacræ Scripturæ cooperientes falſitatem cum ſuis mendacijs, & dant bibere his quos decipiunt, accipientes vaſa Templi Dei, & inebriantur in eis, & laudant idola, & Deos ſuos aureos in ſeculari-

ratione

ratione compoſita, argenteos in venuſtate eloquentiæ artis Rhetoricæ, æneos, & ferreos in fabulis Poetarum, ligneos, & lapideos in his quæ ineptè proponunt. Sic diuus Hieron. ſuper Danielem cap. 5. Fallacia fictionis, & peruerſionis veritatis.

Duodecima fallacia eſt, ſermo affabilis, ueſtis humilis, uirtutum imitatio, uel potius ſimulatio; ſic parant laqueum in diſputatione difficilium, ubi ſuperbi illaqueantur; ſimiliter parant ſagenam, & proijciunt eam in mari uulgi, ut ſeducant ſimplices, & ignorantes, & uitioſos, & otioſos, qui per piſces ſignificantur. Sic Diuus Hieron. ſuper Eccleſ. cap. 9. Fallacia ſimulationis hypocritæ.

Decimatertia ex diuo Hieronymo ſup. Iob cap. 32. Quæ ſpiritu Dei prædicata ſunt, ſuſcipienda á nobis, & credenda, ea vero quæ elatione cordis ab aliquo deprompta ſunt, vt Heliu. reprobanda quoniam de proprijs ſuis, vt diabolus locutus eſt non ex Deo. Ecce fallaciam propriam hæreticorum, qui ex proprijs loquuntur, & à diabolo ſuo magiſtro edocti.

CAPVT TERTIVM.

De nouis hæreticorum fallacijs ex Diuo Auguſtino:

Lib. 2. cap. 7. contra Iulianum sic Diuus Auguſtinus. Quod autem hoc opere tuo quomodo fiant à Dialecticis syllogiſmi, unde quęſtionem tibi nullus obijcit docere conaris, quantum tibi places, tantum grauibus lectoribus diſplices, & quod eſt peius, fingis me dicere, quod non dico, concludere, sicut non concludo, concedere, quod non concedo: Et concludis tibiipsi quod renuo; Nouæ fallaciæ ſunt hæc Iuliani Pelagiani.

Et lib. 3. cap. 10. contra Iulianum. Poſt hanc argumentaris quare fallis, & confeciſſe te aliquid arbitraris, ingerens ſolitum maledictum, per Scripturarum teſtimonia conaris oſtendere uelut inter nos controuersiæ sint, quas libenter omnes prædicamus, & laboras inaniter, non ut reſpondere nobis, ſed ut libros poſſis implere. Ecce nouam fallaciam maledicentię alia eſt fingere contrarietates inter Catholicos, ut libros impleant.

Et cap. 12. Vos qui miſeriam falſa defenſione præmitis, & pernicioſa laude oppugnatis. Hęc eſt etiam noua fallacia.

Et cap. 13. Definis diſſeris quasi medicinaliter de genere, & ſpecie, & modo, & exceſſu concupiſcentię, si agnoſcis remedium, agnoſce morbum, si negas morbum, nega remedium, rogo cede aliquando

per os

per os tuum tibi loquenti veritati, nemo prouidet remedia ſanitati. Eſt fallacia fictionis.

Et cap. 18. Vana uaniora contexe, non Scripturarum Sanctorum eloquia, quæ commemorans dico, ſed ex his quę conficere niteris contra ſpiritum litterę, et contra ſanctos Patres. Eſt fallacia contra ſpiritum litterę.

Et cap. 21. Nunc ergo conſidera rogo te, nunc inquam vt te ſalubriter veritas vincat depoſitâ vincendi cupiditate: ſed ego te vinco, & expugnatorem, & laudatorem mali conſtituens te ante iudicem, non alium, ſed teipſum; vis enim vincere concupiſcentiam expugnatione eius, me vero laude eius: ſed ego reſpondeo, vt vincatur qui laudat, iudicet qui pugnat: ſi malum eſt cur laudas? ſi bonum eſt, cur expugnas? Qui nam ſum ego quem pro magno deſideras vincere vincat te potius veritas. Fallacia victoriæ vanè.

Et lib. 4. contra Iulianum cap. 9. In tua contradictione prætereo geſtus, & iactationes tuas, tanquam hominis anhelantis, & peruenire quo nititur non valentis, & in nebulis, quas perturbatus offundis ſe perueniſſe fingentis. Fallacia perturbationis.

Et lib. 5. contra Iulianum cap. 7. Vos enim augetis iſtam nouitatem, eamque in omnibus eſſe hæreticis occidui temporis prauitatem. Vos eſtis ruina morum, qui ipſius fidei ſupra quam mores ædificandi ſunt, molimini fundamenta ſubuertere. Vos pudoris interitus, quos laudare non pudet contra quod pugnat pudor. Fallacia nouitatis.

Et cap. 8. Nunquid vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas ſocios falſitatis, & hæc fallacia eſt frequentiſſima apud nouatores hæreticos. Calumniare Catholicos.

Et cap. 10. Cernis nempe cum arma tua vana quidem, & obtuſa iactanter ventilas, quomodo qua ferireris nudaberis, immo teipſe percuſſeris, & inſuper iactas mea inter ſe dicta eſſe contraria, cum non ſint; & infra; abuteris ingenijs tardioribus, nolo enim dicere, quia & tu non intelligis, vt non diſcernas hæc duo, & maligna calliditate, aut tenebroſa cœcitate confundas voluntatem, & voluptatem: & ſicut ipſa nomina ſurdaſtris auribus, vnum atque idem ſonant, ita res ipſas ſurdaſtris cordibus vnum idemque eſſe perſuadere te poſſe confidas, hinc eſt quod ſententias meas inter ſe contrarias putas, vel putari cupis, tanquam improbem, quod ante approbauerim, aut amplectar, quod ante reſpuerim: Audi ergo apertam ſententiam meam, & intellige vel ſine intelligere alios nō offundendo caligines nebuloſæ diſputationis ſerenitati ſinceriſſimæ veritatis. Fallacia voluptatis, et confuſionis.

Et lib.

Et lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Verbis meis inſidiaris mendaciter quaſi dixerim nec ratione comprehendi, nec ſermone explicari, ſubtrahens inde quod dixi non facile ſiue ratione ſiue ſermone, aliud eſt nulla quod tu dicis, aliud eſt non facili quod ego dixi, ubi quid aliud quam calumnioſus appares? Fruſtra te interques argumentationibus uanis non aduerſus me, ſed aduerſus communem matrem ſpiritualem quæ non te aliter peperit quam ſicut iam non uis ut pariat, contra eius uiſcera, ſatis acutis telis tibi videris armatus de iuſtitia Dei contra iuſtitiam Dei, de gratia Dei contra gratiam Dei colligens argumenta, & quanto magis (vt putas) acriter, tanto magis infideliter pugnas. Fallacia inſidiarum cum mendacijs.

Et c. 7. Ideo ne cōtra Eccleſiam matrem veſtram ratiunculis veſtris quaſi parricidialibus pugiunculis debetis armari. Fallacia ſyllogiſtica.

Et cap. 18. Te nimis acutis Dialecticorum telis incautius exercendo, noſque iactantius territando ſectam veſtram læthaliter vulneraſti. Fallacia ſophiſmatum.

Et cap. 19. Niſi fortè & ipſi Domino dialecticè calumniaberis quia dixit: Arbor bona & fructus bonos, & arbor mala & malos fructus. *Matt. 7.* Fallacia ex verbis Chriſti inuenta.

Et cap. 21. Sed vobis tàm malitioſum venenum antiqui draconis irrepſit vt & Catholicos horrore Manichæi nominis infametis, & Manichæos peruerſitate veſtri dogmatis adiuuetis. Fallacia venenoſa.

Et cap. 24. Impudentia mirabili, immo dementia reſiſtitis fundatiſſimæ fidei fruſtra ſenſum alium nouum atque diſtortum, & à vero abhorrentem moliris exculpere. Fallacia ſenſus noui, & diſtorti.

CAPUT QUARTUM.

De nouis fallacijs proprijs hæreticorum à Diuo Athanaſio deſcriptis.

Diuus Athanaſius in oratione 5. ad Adelphium fratrem contra Arrianos ſic dicit de fallacijs proprijs hæreticorum; Videmus hæreticorum inſaniam in id barathri recidiſſe, vt ſenſus non amplius integros, aut incolumes retinerent, ſed prorſus mentem vndecumque vitiatam reportant, talia nimirum ſunt quæ diabolus ſuggerit: talia ſunt quibus diabolus tentat, in talibus & Iudæorum zelus, & inuidia ſeſe exercet; ſicut enim illi nuſquam non argumentis victi, calumnias ſecum meditantur, non in alium vſum quam vt Dominum inficientur, & in ſui perniciem Prophetas conuellant; ita quoque iſti videntes eſſe vndecumque notatos, infamiaque conculcatos, ipſorumque

hæreſim apud homines abominabilem haberi, ſcelerum inuentores ſeſe præbent, vt nunquam remiſſa cum veritate pugna, Chriſti perduelles, hoſteſque permaneant: non enim cognoſcunt, neque intelligunt, exacerbati à patre ſuo diabolo, & in tenebris ambulant, & ſimulacrũ introducunt, diuidẽtes quod indiuiſibile eſt, maximè in Chriſto Domino. Et infra. Neq; fieri poteſt quin admireris hæreticorũ animi prauitatem, qui omnia & miſcent & turbant, cauillationeſque excogitant, non in aliud, quam vt conditorem vna cum re condita vnius ordinis eſſe, gregaleſque perſuadeant; mendacia non inſtituant contra Scripturas, neque ſimpliciores ſcandalizent. Fallacia cauillationis, & diuiſionis.

Et in oratione prima ad Epiſcopos Aegypti ſic Diuus Athanaſius Matt. 26. pro magno beneficio aduertit omnes, dicens: Videte nequis vos ſeducat, multi venient in nomine meo, iactitantes ſeſe eos qui ego ſum, & tempus in proximo eſt, multoſque in errorem abducunt, ne ſequamini eos, vt non à ſpecie rerum quæ apparet decipiamur, ſed potius quæ vera ſunt gratia Spiritus ſancti ſequamur: nam quia omnino abominabilis eſt ſcelerum inuentor diabolus, immenſus calumniator, & vel ſemel viſus reijcitur ab omnibus, vt ſerpens, & draco, vt leo, quærens quem rapiat & deuoret: ideo hoc ipſum quidem quod eſt diſſimulat, & occultat, nomen verò quod ab omnibus deſideratur, & expectatum eſt, callidè vt perſonam induit, vt ſpecie deceptos iam, deinde ſuis vinculis perſtringat: aſſimulat ſpeciem, longius deceptos abducit, iugulat, & occidit: eadem quoque ratione ſinuoſus ille, & mille doli fraudiſque magiſter diabolus, nihil ſibi fidens, veritatis ſpeciem, vultumque prætendit, ſuum tamen interim virus comitibus ſuis, & aſſeclis inſpargit: ſic Euam decepit, non ſua loquens, ſed Dei verba aſſimilans, & uerborum ſententiam refingens; & uxorem Iob inſtigauit, ut ſub ſpecie charitatis doceret blaſphemias in Deum: ita doloſus ille, uanis, & falſis imaginibus rerum, hominibus illudit, obrepens & prouocans unumquemque noſtrum ad uitij ſui præcipitia. Fallacia diſſimulationis, & fictionis.

Et infra. Quotquot ſunt hæreſes, nihil habent in ſuis figmentis conſtituendis, quod commune ſit cum ſacra Scriptura, & id eos non latet quantum diſſentiat omnis hæreſis à ſacra Scriptura: ſed tamen ad dolum ſimpliciorum, qui credunt omni ſermoni, ſicut diabolus ipſorum pater, transformant uultus ad ſpeciem Angeli, eamq. uerborum indolem præſeferunt, ut rectum ſenſum habere uideantur, & ſubijciunt dictiones plenas dolo in ſingulis hæreſibus, & ubi perſuaſerint, eo miſeros deducunt, ut diuerſa alienaque à Scripturis ſentiant, & in qualibet

hæreſi dicit diabolus: ego ſum Chriſtus, & apud me eſt ueritas. Illud quoque prorſus admirabile, omnes quotquot ſunt hæreſes in fingendo diuerſa pugnantiaque inter ſe adferre, nec alibi niſi in falſitate ſibi inuicem conſentire, & copulari; neque id mirum, cum vnum habeant auctorem qui ipſis vbilibet mendacia ſeminat, ſimplex vero, & non firmiter inſtitutus, dum ſolummodo verba conſiderat, nec eorum mentem obſeruat, ſtatim illorum aſtutijs ſeducitur. Fallacia figmenti doloſi.

Et inferius in eadem oratione. Quæ ſcribunt hæretici, non cura veritatis ſcribunt, ſed ludi cauſſa, tegnarumque gratia id faciunt, ad impoſturam hominum: cuncta igitur mouent, & turbant, neque vel ita ſuis decretis acquieſcunt; & quotannis conueniunt fœdi & ridiculi, cum ſcripta eorum non modo ab alijs, ſed etiam ab ipſiſmet explodantur, & cum inſidijs ſtudent, ſe ſimulant de fide ſcribere, & dum videntur manus lauare cum Pilato, maiores errores confingunt, & docent, & ſuam incertam fidem demonſtrant, vel potius certam infidelitatem dementiamq; oſtendunt: Quis eos ſcribentes non iure auerſetur? quis non damnauerit eorũ audaciã? Fallacia inſidiarũ, & ſimulationis.

Et in oratione ſecunda contra Arrianos. Cæteras hæreſes transfugas veritatis, & inſana dogmata, ſibi cõminiſcẽtes facilè agnouerint homines; ſed iſta omniũ hæreſum vltima, & nunc recẽs egreſſa, anteambulo, & præcurſatrix Antichriſti, cui nomen eſt ab Arrio doloſa, & vafra, cum videret ſorores ſuas cæteras hæreſes ætate grandiores, publicè palamque probroſas haberi, ſpeciem ſuam diſſimulat, & literarum ſacrarum vocibus, quaſi honeſto cultu induitur, vt pater eius diabolus, ac ſattagit denuo intrare in Paradiſum Eccleſiæ, quo ſub ſpecie Chriſtianiſmi nonnullos ſeducat, vt credibilitate falſarum rationum perſuaſi, contra Chriſtum ſentiant: veris enim rationibus, nihil eſt apud illos firmum, & ſtabilitum, & ſicut Phariſæi Deum ore habebant, ipſum tamen blaſphemabant, dicentes Ioannis 10. Cur tu homo cum ſis, Deum te facis: ita Arrius ſimulat ſe de Deo loqui, & negat Dei filium. Fallacia ſimulationis, & fictionis. *Ioan.10.*

Et infra in eadem oratione addit. Callidus ſophiſta Aſterius, & hæreſeos patrocinator, in ſuo libro, ingenitum eſſe quod factum non ſit: Audiant quidem plurima eſſe ingenita, et nullum eſſe ingenitum, et filius ingenitus eſt, quia non eſt ex genere factitiorum, neque opus aliquod, ſed æternaliter cũ Patre coexiſtit: et quia ex ſacris eloquijs cauillationes ſuas conficiunt, et ſacra eloquia vi ad ſuam ſententiam falſis interpretationibus detorquent, neceſſarium eſt eatenus ijs reſpondere, quatenus ea ſacræ Scripturæ vindicemus, eaque oſtendamus, re-

ctum quidem habere intellectum, ſed ab iſtis malitioſè vſurpari, et nomen ingeniti ab Ethnicis vſurparunt, alienum à Scripturis ſacris. Fallacia malæ vſurpationis.

Et in ſermone quarto contra Arrianos ſic dicit Sanctus Athanaſius; Hæreticus vt res ipſa docet, prauum omnino et vndecumque corruptum animum ad impietatem habet; ecce enim vbique refutati declaratique nullius ſcientiæ eſſe, erubeſcere tamen nequaquam poſſe: ſed quemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata Hydra, ſublatis prioribus ſerpentibus, alijſque pullulantibus, pernicaciter contendebat, nouo ſemper obiectu anguium contra eum qui ipſi ſuos ſerpentes tollebat: ita quoque iſti execrabiles homines, animo Ethnico deiecti ab illis quæ obijciebant, alias reperiunt Iudaicas, et ſtultas controuerſias, et quaſi ueritatem hoſtem habere comminiſcuntur noua, vt ita ſe magis Chriſti perduelles, et oppugnatores declarent, his quidem admurmurant, iſtis vero inſuſurrant, alios rurſum veluti culices bombo circumſtrepunt, his vocibus utentes; ſunt iſta ad iſtum modum interpretanda, et uincite rationibus, et demonſtrationibus; itaque omnia uerba hæreticorum ſuſpecta ſunt, et doloſa. Fallacia ſuſpicionis, et doloſæ mentis.

Matt. 11. Et in oratione Sancti Athanaſij ſuper illud Matth. 11. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, notat fallaciam uſitatam ab hæreticis, in eo quod benè dictum eſt et ſcriptum, malè interpretantur: ſi enim intelligerent, et cognoſcerent ſtylum Chriſtianiſmi, non impingerent in id quod ſcriptum eſt rectè, qui in tenebris ambulant, non intelligunt, et qui cauſam non perſpiciunt, audiant tandem et diſcant, ideo Dominum ignorantiam hominum in ſuo corpore geſtaſſe, ut humanitatem liberatam ab omnibus illis malis, defœcatamq; ac proinde perfectam, et ſanctam Patri ſuo repræſentaret. Fallacia malæ interpretationis.

Et in apologia de fuga ſua ſic aliam fallaciam hæreticorum declarat. Opera hæreticorum oſtendunt eorum animos feris efferatiores, et Babylonijs crudeliores, et ſecundum ſuum patrem diabolum mollibus ſermotiunculis ſe fucant, et in aliam ſpeciem uultus qua timiditatem mihi objiciunt, transformantur, ipſi interim leporibus timidiores. Fallacia transformationis uerborum.

Et in epiſtola aduerſus Arrianos. Sicut improbi homines cum de ſtudijs ſuis malè audiunt, probos modeſtoſque ſibi ſocios fingunt, falſa de alterius probitate mentientes; ſi benè fidunt ſuæ ſectæ uerbiſque quæ loquuntur, nudam nobis ſuam hæreſim proferant oſtendantque ſi quid pro ea defendenda, uel ex ſacris Litteris, uel ex humana ratione quæ pia ſit, deducere poſſint, aut ſi non poſſint taceant: nuſquam enim

quid-

quidquam in uenturi ſunt, niſi quod faciat ad grauiorem ipſorum refutationẽ, & ideo ad mendacia de pijs hominibus fingenda cõfugiunt, & ab huiuſmodi dolis nũquã abſtinuerũt. Fallacia doloſa, & calũnioſa.

Et in alia epiſtola aduerſus Arrianos. Conqueritur (inquit Sanctus Athanaſius) Arrius de obtrectatoribus ſuis, quod non integrè ipſius ſcripta, ſed truncatim adducant, neque bona conſcientia id faciunt: ſed pro libidine rem tractant, illoſque ſimiles pronunciat Beati Apoſtoli obtrectatoribus, & quod ipſi faciunt, Catholicis tribuunt. Et eſt fallacia vſitata apud omnes hæreticos. Catholicis tribuiſſe quod ipſi faciunt.

Et in alia epiſtola per decreta contra Arrianos. Tam vario, & verſipelli animo ſunt hæretici, quam Chameleontes in mutandis coloribus, in reſumere audaciam, aut cauſificationes fingendas, vt in ſua hæreſi perdurent, & ſic dementiam ſuam produnt, & in imitationem Iudaicæ, & Phariſaicæ prauitatis incidunt. Fallacia fictionis.

Et in epiſtola ad ſolitariam vitã agentes ſic teſtatur D. Athan. Aliarũ hæreſum inſtituta in perſuaſibilitate verborum inſaniam ſuam conſtitutam habent, ad circumuentionem ſimpliciorum: Et Ethnici vt inquit Apoſtolus, ſublimitate, & ſuadela verborum, & ſophiſmatibus veriſimilibus, diſceptationes ſuas inſtruunt: Iudæi vero omiſſis Scripturis, vt Apoſtolus ait, fabulis, & genealogijs decertant: Manichæi vero, & Valentini, cæteriq. alij ſuis fictis rationibus ſacras Litteras cauponantes adulteranteſque, nœnias adferunt: Arriani autem cæteris proteruiores alias ſorores ſuas hæreſeos ſe multò minores declarant, cum longe maiori impietate vtantur, imitantes Iudæos contra Paulum; cæteræ vero hæreſes demonſtrationibus conuictæ ab ipſa veritate, tacitè obmuteſcunt, nihilque agunt niſi quod de conuictione ſua erubeſcunt; noua autem iſta, & execrabilis hæreſis Arriana, cum rationibus ſubruitur, cum ipſa veritate pudefacta concidit, & quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribuſque ad ſe pertrahere admititur, atque vel ita ſeipſam quam non ſit pia, & Dei cultrix, manifeſtat. Fallacia verborum, & ſophiſmatum.

Et in lib. de Incarnatione Chriſti. Hæreticorum argumenta, ſophiſmata, & euerſiones, inuenta ſunt, nec eſt vna illorum ratio, multa enim incredulitatis diuerticula humanis ratiocinationibus excogitata ſunt ab eis, loquuntur, quæ ſcripta non ſunt, & cogitant, quæ aliena ſunt à pietate, vt habeant verba curioſè affectata, & ſepè ſtulta. Fallacia per verba curioſa, & doloſa.

Et in tractatu de definitionibus, definiens quid ſit hæreticus, dicit quod eſt calumniator, & accuſator veritatis, vel falſa opinio eius quod non eſt.

CAPUT

CAPVT QVINTVM.

De fallacijs hæreticorum iuxta Sancti Gregorij Nanzianzeni relationem.

SAnctus Gregorius Nazianzenus in oratione 33. ſic dicit: Nihil acutius expetunt hæretici, quam vt malorum noſtrorum ſcintilla in flammam ſurgat, quam etiam furtim exſuſcitant, atque accendunt, auræque ſuæ afflatu in cælum attollunt, & Babylonica flamma in Orbem omnia populante, ſublimiorem reddunt; quoniam enim in ſuis dogmatibus nihil ſibi præſidij roboriſque conſtitutum vident. Hoc in noſtrarum rerum imbecillitate venantur, & ſicut muſcæ vulneribus, ita noſtris calamitatibus, aut si mauis, erratis, imminent. Fallacia Phariſaica.

Et ad Catholicos sic ait. Si inimicitias inter nos extirpare non poſſumus, illud ſaltem inter nos conueniat, vt myſtica, myſticè, & ſancta, ſanctè proloquamur, nec in profanas aures quæ in vulgus efferuntur, nefas eſt proijciamus, ne alioqui conſtet eos qui dæmones adorant, & turpium fabularum ac rerum cultum profitentur, nobis grauitate ſuperiores eſſe.

Et infra de nouis, & proprijs hæreticorum fallacijs sic dicit. Cur aranearum talis infirmiores illaqueas, ex eoque tibi ſcitum aliquid ac præclarum facere videris? Cur aduerſus fidem crabrones excitas? Cur Dialecticorum agmen nobis ex tempore producis, non aliter ac fabulæ olim gigantes? Fallacia ſophiſmatum.

Et in oratione 36. Quoniam tibi ratiocinationum verſutias, nexuſq. vi ſpiritus abundè diſcuſſimus, eas autem à diuinis Scripturis petitas obiectiones, quibus hæretici literæ ſacrilegi ac ſemper ſenſum ſuffurantes pleroſq. ad ſuas partes trahunt, ac ueritatis uiam turbant, diſſoluamus, ſublimiores uoces, & quæ Deo magis conueniunt Diuinitati attribuimus: humiliores autem & quæ hominis naturæ magis congruunt, noſtri cauſa nouo Adamo tribuimus. Fallacia turbationis ueritatis.

Et in oratione 42. Mos hæreticorum eſt, quæ minuunt; et extenuant in ſacra Scriptura, de Chriſto proferre, quæ autem efferunt, prætereunt: expendunt quod Chriſtus paſſus ſit, quod autem ſponte, non coniungunt: uincunt enim dæmones hæretici in incredulitate, et Iudæos in peruerſitate, illi enim cum à Chriſto fugabantur, Deum agnouerunt, Iudæi uero filij uocabulum æqualitatis eſſe uocis cenſuerunt:

fuerunt: tu uero hæretice nec æqualitatem admittis, nec Deum confiteris. Fallacia diuiſionis peruerſè.

Et in oratione 44. Fallacia hæreticorum in vocibus impingit: nec mirum, cum Chriſtus nonnullis etiam ſcandalo fuerit: humanus is quidem affectus eſt.

Alia eſt fallacia propria hæreticorum, cum plus tribuunt voci quam ei debetur, & cum animo benè valeatis (vt vos exiſtimatis) turpè eſt, & per abſurdum circa vocis ſonum ieiunos, & minutos vos præbere, quaſi inuidentes & metuentes, ne linguam quoque veſtram ſanctificetis in rei veritate confitenda. Fallacia falsè attributionis.

Et in oratione 49. Aliam fallaciam propriam, & nouam hæreticorum manifeſtat, dicens. Fallacia hæretici sepè non in verbis, sed in ſenſu eſt, & ſic ad ſenſus debent verba conferri: quia non ſimplicitas verborum, ſed mali intellectus obſtinatio culpam olet, & cum ſenſus noſter cum ueritate concordat, & uerba debent cum ratione ſinceriſſima, unde à ſimplicitate Chriſtiana academicus diſputator abſcedat. Fallacia ſenſus.

Et infra. Graues hæreſes nouimus à plurimis ebullire, & ueneni uice ad intimum pectus cancri sui uirus infundere, sed uinci uel facilè poſſunt, uel facilè uitari: quia in prima propoſitione, omne conſilium pectoris proditur. Fallacia uenenoſa.

De alijs uero hæreſibus, quæ inter Catholicos sub specie defenſionis ueritatis ſeminantur, & obſtinatè defenduntur; ſic Diuus Gregorius Nazianzenus. At uero hi quibus multa nobiſcum paria sunt, facilè poſſunt innoxias mentes, & ſoli Deo debitas fraudulenta ſocietate percutere, dum malorum ſuorum uirus, per bona noſtra defendunt, nihil enim periculoſius his hæreticis eſſe poteſt, qui cum integrè per omnia decurrant, uno tamen uerbo, ac ſi ueneni gutta ueram illam, ac ſimplicem fidem Dominicam, & exinde Apoſtolicæ traditionis, inficiunt: unde uehementer nobis cauendum eſt, ne ſe, uel ſenſibus, uel auribus ueſtris huiuſmodi aliquid latenter inſinuet: quia nihil tàm cogit in mortem, quam sub obtentu fidei, integritatem eiuſdem fidei uiolare: ut enim Gypſum aqua permixtum, lactis colorem mentitur, ita hic per uerisimilem confeſſionem, traditio inimica ſuggeritur, qua de re non ſimilitudo confeſſionis, ſed ſenſus mentis eſt ponderandus, quia tunc confeſſio ipſa firmatur. Fallacia ſimilitudinis apparentis confeſſionis.

Et in oratione 51. Hæretici decipiuntur in litera ſacræ Scripturæ, ignorantes conſuetudinem ſacræ Scripturæ, & comparat eos sutoribus craſſioribus pellium, quia cum ſacra Scriptura per Synecdochem ſumat

mat partem pro toto, uel è contra, ipſi malè conſuunt, ut cum Chriſtus dicitur Verbum caro factum, caro pro toto homine ponitur. Et in
Pſal. 64. Pſalmo 64. Ad te omnis caro veniet; & anima etiam pro homine ſu-
Pſal. 104. mitur Pſalm. 104. Ferrum pertranſijt animam eius. Fallacia malè coniunctionis.

Et in eadem oratione. Scire cupimus quænam hæc tanta ſit circa Eccleſiam nouandi libido, vt cuiuis volenti, atque (vt Scripturæ vocabulo vtar) prætergrediendi ouile præclarè ductum, & inſtitutum diſcerpere, ac per furtiuos impetus, vel potius prædatorias, & abſurdas doctrinas diripere liceat. Fallacia audaciæ in nouis inueniendis.

CAPVT SEXTVM.

De fallacijs nouis hæreticorum, quæ à Sancto Thoma notantur.

Apoc. 14. IN opuſculo 17. cap. 1. notat Sanctus Thomas illud Apocalyp. 14. Quod vnum de capitibus beſtiæ fuerit quaſi occiſum: quia quamuis hæreſes antiquæ, vt Vigilantij, & Iouiniani confutatæ ſint, & occiſæ, & quaſi ſepultæ, maximè ab inſigni Doctore S. Hieron. vt ait Diuus Thomas, inſurgunt ſemper noui Vigilantij, & noui Iouinianij, & per aſtutiam nouam reſuſcitant caput hæreſis antiquæ, ita vt videantur de nouo illam fundare, & quaſi vitam ei conferre, dum non verentur teſtimonijs ſacræ Scripturæ fallaciter intellectis hæreſim confirmare. Et hæc eſt vna ex fallacijs nouis hæreticorum.

Et cap. 6. Declarat Sanctus Thomas nouam hæreticorum fallaciam, & velut radicem ſuorum errorum circa præcepta, & conſilia, in hoc quod ſtatuunt perfectionem principaliter conſiſtere in conſilijs, & præcepta ordinari ad conſilia, vt imperfectum ad perfectum, & vt medium ad finem; Ex hac noua fallacia probant non debere ingredi Religionem niſi illos qui prius exercitati fuerint in perfectione obſeruantiæ præceptorum, & hoc abſolutè. Et hanc fallaciam probant iuxta aliam ſupradictam teſtimonijs ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum.

Contra hanc fallaciam diſputat Sanctus Thomas, & efficaciter confutat eam in cap. 2. 3. 4. 5. & 6. eiuſdem opuſculi 17. Conſilia enim ad vitæ perfectionem pertinent, non quia in eis principaliter conſiſtat perfectio, ſed quia ſunt via quædam, vel inſtrumenta ad charitatis per-
D. Aug. fectionem habendam, vt docet D. Auguſt. in lib. de moribus Eccleſiæ;
Abbas Moyſ. & in collatione Patrum eandem veritatem confirmat Abbas Moyſes. Addit Sanctus Thomas, quod duplex eſt modus obſeruandi præcepta, primus perfectus eſt, cum aliquis exercitatur in perfecta obſeruantia

præce-

præceptorum aliqua menſura, præferendo Deum vt vltimum finem omnibus, & ſic implet præceptum perfectius vel minus perfectè, ſecundum quod magis vel minus detinetur aliarum rerum amore, iuxta doctrinam Diui Auguſt. in lib. 83. Qq. & hoc idem exercitium fit per conſilia ſuo modo. Secundus conſiſtit in imperfecta obſeruantia præceptorum, quod fit in vita ſæculari abſque conſilijs: cum ergo dicitur ab hæreticis, quod oportet aliquem prius exercitari in præceptis quam ad conſilia tranſeat, idem eſt ac ſi dicatur, oportet prius hominem exercitari in imperfecta obſeruantia præceptorum, quam exercitari in perfecta obſeruantia eorundem, quod valde ineptè dicitur, ſiue ad ipſa præcepta reſpiciamus: & contradicit formæ dilectionis à Chriſto tradita ex toto corde, & ex tota anima; ſi vero ad ipſa exercitia inſpiciamus, maior apparet abſurditas: quis enim dicat volenti continentiam, vel virginitatem ſeruare, vt prius in matrimonio caſtè viuat? quis dicat paupertatem pro Chriſto volenti ſubire, vt prius iuſtè viuat in diuitijs? quaſi per diuitias animus hominis ad paupertatem præparetur; & non magis propoſitum paupertatis impediatur: quod manifeſtè apparet Matth. 19. de adoleſcente qui paupertatis conſilium à Domino non ſuſcepit, ſed abijt triſtis propter diuitias quas habebat. Et hæc dicta ſunt in comparatione conſiliorum ad præcepta charitatis.

D. Aug.

Matt. 19.

Matt. 19.

Si vero comparentur conſilia ad alia Legis præcepta, maiora abſurda ſequuntur, & ſimiles ſunt hi hæretici duci, qui milites in ſuo exordio tyrocinij acrioribus bellis exponit: & ſic expertus teſtatur D. Gregor. in principio moralium, quod ſæcularis vitæ conſuetudo, conſilijs obſeruandis impedimentum præſtat.

Et in cap. 8. eiuſdem Opuſc. 17. manifeſtat Sanctus Thomas aliam fallaciam nouam hęreticorum, dum ea quę ſunt Diuina, & ſpiritu Diuino iudicanda, ad conſilium rationis humanę iudicanda remittunt, & ſic dicebant hęretici quod ad Religionis ingreſſum opus erat conſilio, & conſultatione ſęcularium, maximè quia in hoc eſt periculum deceptionis.

Hanc fallaciam confutat Sanctus Thomas in cap. 9. & probat ex obedientia ſine aliqua replica, vel conſilio humano adhibito in vocatione, & ſequela Apoſtolorum. Et D. Chryſoſt. dicit quod humana pericula paruipendit Matthęus, dum officij ſui rationes imperfectas reliquit. Ex quo euidenter colligit Remigius, quod nihil humanum nos debet retardare à ſeruitio Dei; & hoc idem confirmat Chriſtus Matt. 8. & Lucę 9. cum noluit concedere diſcipulo, vt prius ſepeliret patrem. Et ſecundum Diuum Hieronymum in epiſtola ad Paulinum Presbyterum, ſic ſequendum eſſe dicit conſilium Chriſti ab vnoquoque qui

D. Chryſ.

Remig.

Matt. 8.

Luc. 9.

D. Hiero. ad Paulin. Presbyt.

vocatur, ac ſi vnicuique ſingulariter ex ipſius ore Dominico proferre- retur: & ideo quod vni adoleſcenti dixit Chriſtus, vniuerſaliter propoſuit conſilium: Si quis vult venire poſt me, &c.

Eſt alius modus quo Deus interius homini loquitur, ſecundum illud Pſalm. 84. Audiam quid loquatur in me Domine Deus: & hæc loquutio cuilibet loquutioni exteriori præponitur: quia Spiritus ſanctus mentem in ea vocatione immutat, cui reſiſtere nullus debet, ſed abſque dubitatione obedire, ſecundum illud Iſaiæ 50. Ex ore Prophetæ, vel potius ipſius Chriſti, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ſcilicet, interius inſpirando: ego autem non contradico, retrorſum non alij, quaſi præteritorum oblitus, ad interiora me extendens. Ad Philipp. 3. & ad Rom. 8. dicit Apoſtolus: Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt: vbi Gloſſa Auguſtini, non quia nihil agant, ſed quia impetu gratiæ aguntur, non autem agitur impetu Spiritus ſancti qui reſiſtit, vel tardat, ergo proprium eſt filiorum Dei, vt impetu gratiæ agantur ad meliora, non expectato conſilio, maximè humano. Et hanc veritatem confirmat D. Auguſtin. in 8. Confeſſionum exemplo Sanctorum, & ſuiipſius. Et in lib. de Prædeſtinat. Sanctorum dicit idem Auguſt. Itaque gratia quæ occultè humanis cordibus Diuina largitate tribuitur, à nullo corde duro reſpuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia pœnitus auferatur. Ex Ariſtot. etiam doctrina confutat Sanctus Thomas hanc fallaciam, in lib. Ethicorum cap. de bona fortuna; rationis principium non eſt ratio, ſed aliquid melius: & hoc non poteſt eſſe niſi Deus; & ſubdit Ariſt. de his qui à Deo mouentur, quod conſiliari non expedit eis qui habent principium tale quod melius eſt intellectu, & conſilio.

Pſal. 84. *Iſai 50.* *Ad Philipp. 3.* *Ad Rom. 8* *D. Auguſt. in 8. Confeſſ.*

Erubeſcant igitur hæretici in hac fallacia ab Ethnico Philoſopho damnati, maximè quia conſilium eſt de dubijs: impium eſt autem dubitare de vocatione Dei, & conſilia etiam patris, vel matris requirere, vt D. Hieronym. epiſt. ad Heliodorum docet. Si vero dubitatur de poſſibilitate obſeruantiæ conſiliorum, reſpondet D. Auguſt. exemplo ſuiipſius, & ex inſpiratione Dei; Dubitanti Auguſt. de hoc, dixit Deus illi interius; quid in te ſtas, & non ſtas? proijce te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet vt cadas, proijce te ſecurus, & ſanabit te: & oſtendens illi puellas virgines, tu non poteris quod iſtæ? & iſtæ in ſemetipſis poſſunt? non, ſed in Deo ſuo: & non dixit illi, quod requireret conſilium humanum, maximè quia apud homines mundanos ſapientia Dei ſtultitia reputatur, Eccleſiaſt. 37.

D. Hieron. epiſtol ad Heliod. *Eccl. 37.*

Et in Opuſculo 19. cap 10. proponitur à Sancto Thoma fallacia, quæ frequenter inculcatur ab hæreticis ex verbo prauè intellecto, vbi

virus

virus hæreticæ prauitatis latet; ſi eſt ex Deo conſilium hoc, aut opus, non poteritis illud diſſoluere. Ex hoc verbo prauè intellecto, hæretici noſtri temporis duos errores concludere nituntur. Primus eſt, quod corpora quæ corrumpuntur, à Deo non ſunt. Secundus, quod ſi aliquis gratiam habet à Deo, amitti non poteſt; Similes ſunt errores, ſi diabolus peccauit, opus Dei non fuit: ſi Iudas fuit damnatus, eius electio à Deo non fuit: ſi Simon magus poſt baptiſmum in hæreſim incidit, à Deo non fuit quod Philippus eum baptizauit: Et ſi ille qui Religionem intrat, ab ea egreditur, non fuit à Deo eius vocatio.

Contra hanc fallaciam diſputat Sanctus Thomas cum diuo Auguſtino 1. lib. contra Iulianum qui dicebat: Non poteſt mali radix in eo quod donum eſt Dei, locari. Contra quem Auguſt. dicit. Erit profecto Manichæus victor, niſi & illi reſiſtant & tibi. Veritas ergo fidei Catholicæ ideo vincit Manichæum, quia vincit teipſum, vt ergo ipſi parcitur cum Manichæi vincantur; dicit Sanctus Thomas, quod conſilium Dei nunquam diſſoluitur ſecundum illud Iſaiæ 46. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet; ex hoc tamen conſilio immutabili, ſicut dat rebus corruptibilibus eſſe temporale, quibus ſempiternitatem non tribuit, ita quibuſdam dat iuſtitiam temporalem quibus non largitur perſeuerantiæ donum, vt diuus Auguſtinus dicit in lib. de perſeuerantia; & ſic vincuntur Manichæi, quia æterno Dei conſilio corruptibilia inſtituuntur, vt temporaliter ſint: & ſimiliter vincuntur noui hæretici, quia ex immobili Dei conſilio quibuſdam datur ſecundum æternum Dei conſilium, propoſitum Religionem ingredi, quibus in ea perſeuerandi donum non datur.

Auguſt. *Auguſt.* *Iſai. 46.* *Auguſt.*

Et cap. 13. refert Sanctus Thomas aliam hæreticorum fallaciam, ſecundum quam allegant Scripturam, Decreta Pontificum, & Conciliorum, & Doctorum extra propoſitum, ſicut in dicto cap. allegant Decretum Innocentij Papæ de voto ſimplici.

In eodem cap. adducit Sanctus Thomas aliam hæreticorum fallaciam, cum allegant Iuriſtarum Gloſſulas, ac ſi eſſent auctoritatis irrefragabilis, & ridiculum eſt quod ſacræ Doctrinæ profeſſores hoc admittant.

Alia eſt fallacia hæreticorum, dum Scripturam ſacram truncatam, mutatam, & in contrario ſenſu allegant contra veritatem Catholicam, & ad confirmandos ſuos errores.

Sanctus Thomas Opuſculo 19. cap. 20. Aſſignat nouas hæreticorum fallacias, & primo dicit: Mala extendunt Catholicorum quantum ad tempus, vt quæ ante conuerſionem perpetrata ſunt, poſt conuerſionem in eorum contumeliam commemorant, confirmantes au-

1.Tim 3. ctoritatibus Sanctorum 2.Timoth.3. Erunt homines ſeipſos amantes; de Religioſis loqui Paulum, & de Summo Pontifice, & Eccleſiæ Epiſcopis, & Prælatis, ſimiliter calumniando interpretantur hæretici. Contra diuus Gregorius ſuper Iob cap. 28. Ferrum de terra tollitur, dum propugnator Eccleſiæ fortis à terrena actione ſeparatur, non debet in eo deſpici, quod fuit, quia iam cœpit eſſe quod non fuit; & Paulus 1. Corinth. 6. Et aliquando fuiſtis (loquitur de diuerſis peccatis) ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, &c. ergo non nocet quod fuerunt: ſi ſic viuunt vt ſancti & iuſtificati. Secundo extendunt malum quoad perſonas, vt quod vnus malè operatur, Eccleſiæ & Religioni tribuant in omnibus eius filijs, & profeſſoribus, vt cum quis delicatè viuit, & voluptuosè, & cum ſcandalo, non eſt alijs tribuendum, vel omnibus; Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam, & habetur, 23.quæſt.7. conqueritur de hac fallacia hæreticorum his verbis. Quiſquis res pauperum quas ſub nomine Eccleſiæ tenebatis, non per iuſtitiam, ſed per auaritiam tenetis, diſplicet nobis; ſed nec facilè iſta monſtratis, nonnullos toleramus, quos corrigere, vel punire non poſſumus, neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter piſces malos rumpimus retia Domini: ſic nec infamare poſſumus Collegium Apoſtolicum quoniam vnum ex eis Iudas diabolus fuit, Ioan. 6. & Cantic. 2. dicit, ſicut lilium inter ſpinas, Sanctus Gregorius in Gloſſa: Nec mali ſine bonis, nec boni ſine malis eſſe poſſunt; & de his dicitur 1.Ioan.2. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Tertio extendunt mala ſecundum quantitatem, leuia aggrauando, minima exaggerando: ſic dicunt Religioſos, & Epiſcopos eſſe pſeudoapoſtolos, procurantes domos amplas, menſam, lautiorem, ornamenta pretioſa, & familiam multam: & hi Matth. 7. vident feſtucam in oculo fratris, trabem autem in oculo ſuo non vident. Gloſſa. Multi præuenti maioribus, leuiora in fratre malunt vituperare, & damnare, quam emendare, pleni odio, & inuidia, & malitia, implentes illud Matth. cap. 23. Excolentes culicem, camelum autem glutientes, horum leuia peccata mordaciter arguentes, ſua grauia non curantes, nec cõſiderantes illud 1.Ioan. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, loqui de leuibus, & venialibus quæ in homine perfecto inueniuntur: nec obſeruantes quod Spiritu ſancto præcipit Prouerb. 24. Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti.

Marginal notes: Gregor. Iob 28. — 1.Cor.6. — Auguſt. — Ioan.6. Cant.2. Gregor. — 1.Ioan.2. — Matt.7. — Matt.23. — 1.Ioan.1. — Prou.24.

Secundo dubia pro certis aſſerunt contra veritates fidei, & contra Catholicos, ſicut de Religioſis dicit Sanctus Thomas, vt eos infament hæretici, prima dubia ſunt futura, & incerta, et non definita; et de his hæretici ſic aſſeuerantes proferunt reprobationem Catholicorum, ac ſi

eſſet

eſſet certum; Similiter corruptos eſſe in fide, vel corrumpendos, ac ſi certo ſcirent, & in hoc vſurpant quod ſolius Dei eſt Iſaiæ 41. dicitur: Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quod Dij eſtis vos. Secunda dubia ſunt quæ in corde occulta ſunt, & ſoli Deo nota. Ierem. 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? & 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare: Gloſſa, iniura fit Iudici, ſi ante ſententiam eius, à ſeruo procedat ſententia in his quæ ſibi Dominus reſeruauit, vt occulta cordis, ſecundum S. Thomam, & ad Rom. 14. Non amplius inuicem iudicemus, Gloſſa cum incertum eſt quod faciunt, qui magis amant clamare quam corrigere, & emendare. *Iſai. 41.* *Ierem. 17.* *1. Cor. 4.* *Ad Rom. 14.*

Tertio falſa confingendo, non ſolum ordinaria, ſed peſſima, & grauiſſima peccata quibus Catholicos hominum ſocietate indignos, & omnibus odioſos reddunt, & vt eos ſua detractione opprimant, eis imponunt mala, quæ in Eccleſia peſſima inueniri poſſunt ſecundum eius progreſſum, & ideo vocant eos Antichriſtos ſecundum futurum tempus, & pſeudoapoſtolos ſecundum præteritum tempus Apoſtolorum, & pſeudoprophetas 2. Pet. 2. Fuerunt & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces. Pro euidentia veritatis dicit S. Thomas, quod Prophetæ, & Apoſtoli officium eſt, vt ſit mediator inter deum, & populum, verba Dei populo annunciando, vt 2. Cor. 5. Pro Chriſto legatione fungimur tãquã Deo exhortãte per nos, ex quo ſequitur, quod ille dicitur falſus Propheta, & falſus Apoſtolus primo ex hoc quod à Deo non eſt miſſus, Ierem. 13. Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant, non loquebar ad eos. Secundo ex hoc quod verba Dominum proponunt, ſed falſa de ſuo confingunt. Ierem. 17. Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini, cum Dominus non miſerit eos ex hoc quod ſunt pertinaces in falſitate. Ezech. 3. Et perſeuerauerunt confirmare ſermonem. *2. Pet. 2.* *2. Cor. 5.* *Ierem. 13.* *Ierem. 17.* *Ezech. 3.*

Hæc autem de Eccleſiæ Catholicæ Paſtoribus, & Miniſtris dici non poſſunt ſicut Ierem. de ſe, & perſona horum teſtatur Ierem. 26. In veritate miſit me Dominus ad vos. Contra primum, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc. Contra ſecundum; intelliguntur autem à Domino mitti, cum à Prælatis Eccleſiæ Catholicæ mittũtur. Sic Auguſt. ad Oroſium dicit, quod Moyſes fuit à Deo miſſus Ioſue vero ab homine Moyſe: illum cognoſce miſſum à Deo quem non paucorum hominum laudatio, ſed illum quem vita & mores optimi, & Apoſtolicorum exactio commendat Sacerdotum. Nec de falſitate aliquid probant, ſed ſolum dicunt, & falſo imponunt, vt Actorum 20. Scio quod intrabunt poſt diſceſſionem meam, lupi rapaces in vos, vocant hæretici Catho- *Ierem. 26.* *Auguſt.* *1. Act. 20.*

Digitized by Google

ci Catholicos lupos: ſed Gloſſa explicat hoc de hæreticis, qui ſunt calli-di in fraude, fortes in diſputatione, crudeles in ſua occaſione. Et ſimi-
Matt. 7. liter exponit Gloſſa illud Matth. 7. Intrinſecus autem ſunt lupi rapa-ces, de hæreticis, qui venenato animo, & intentione nocendi interius corrumpendo, vel exterius perſequendo lupi rapaces ſunt. Et illud
Marc. 13 Marci 13. Exurgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ: explicat etiam Gloſſa de hæreticis primis, vt de Simone mago, & ſequacibus. Ad hoc, autem quod aliquis non miſſus prædicet, vel falſam doctrinam doceat,
Thom. ex aliqua mala radice mouetur, vt dicit S. Thom. opuſc. 19. cap. 22. vt ex auaritia, vel ex ſuperbia, vel ex inani gloria, & hi à gratia Dei deſer-ti, per multa vitia diffluũt, & præcipitãtur, vt patet in omnibus hęreticis.

Addit S. Thomas, quod & ſi aliquis peccator ſit, dummodo tamen in fide non erret, vel non doceat falſa, non poteſt dici pſeudoapoſtolus, vel pſeudopropheta dummodo vera prædicet, & hi pauci ſunt ex noſtris, & tollerantur etiam ab Apoſtolo Paulo.

Quod vero Paſtores Eccleſiæ Religioſi, & Prædicatores, non poſſint nec debeant dici Antichriſti, vt falſo calumniãtur omnes hæretici, pro-bat S. Thomas in citato op. c. 23. primo quia tempus Antichriſti nõ eſt
Matt. 24. certum, vt Matt. 24. de die autem illo nemo ſcit, dixit Chriſtus, & Pau-
2. Theſſ. 2. lus 2. ad Theſſalon: 2. non moueamini à ſenſu veſtro, quaſi inſtet dies
D. Hier. Domini, & Diuus Hieron. de viris illuſtribas, reprobat doctrinã dicen-tium diem Domini inſtare, ſicut hæretici nunc dicunt, ergo falſo im-ponunt noſtris, quod tempore Antichriſti eueniet; nec valet quod ipſi
Auguſt. allegant quod hæc eſt vltima ætas ſenectutis, quia ſecundũ Aug. lib. 83. q. 60. Senectus ſolet continere quantũ omnes aliæ ætates antecedentes.

Nec valet quod hæretici dicunt de ſignis aduentus Antichriſti, quod
Auguſt. inſtent iam, contra quos diuus Auguſt. in epiſt. ad Heſitium, diſputat, & conuincit eos de falſitate.

Nec poſſunt dici Catholici nuncij Antichriſti quia ſecundum Gloſ-
Pſal. 81. ſam ſuper Pſal. 81. Deus qui ſimilis erit tibi. Nuncij Antichriſti non erunt de vno ſolo ſtatu, ſed de omnibus, & diuerſis hominum ſtatibus, & ſuo tempore, & de perfectiori ſtatu pauci erunt, ipſi vero hæretici de perfectionibus ſtatibus Catholicorum omnes nuncios Antcihriſti ca-lumniantur.

Nec poſſunt dici hypocritæ, vt hęretici calumniantur de perfectio-ribus Catholicis etiam de Sanctis, qui ſigna, & miracula faciunt, &
Luc. 11. bona opera manifeſtant imitantęs Phariſæos, qui opera Chriſti, et mi-
Matt. 12. racula calũniantes dixerunt: In Beelzebub, etc. D. Greg. lib. 31. moral.
Gregor. dicit quod ſunt nonnulli quos charitatis gremio nutriẽs Eccleſia mater tollerat, quouſque ad ſpiritualis ætatis incrementa perducat, qui nonnun-

nonnunquam et ſanctitatis habitum tenent, et perfectionis meritum exequi non valent, neque credendum eſt in hypocritarum numerum incurrere quia aliud eſt ex infirmitate, aliud ex malitia peccare, illi ergo ſoli ſunt dicendi hypocritæ ex ſententia Gregor. qui ex intentione opera perfectionis aſſumunt, ût malitiam ſuam occultius exerceant, vt magis nocere poſſint non autem illi quos contingit ex infirmitate peccare etiam in habitu, et ſtatu perfectionis. *Gregor.*

Et quia omnes hæretici ab eodem ſpiritu diabolico ducuntur, et loquuntur, eaſdem fallacias noui hæretici proponunt quas veteres hæretici inuenerunt, eaſdemq; calũnias imponũt noſtris quas impoſuerunt antiqui hæretici anteceſſoribus Catholicis, ideoq; omnia quæ S. Thom. ſcripſit de hæreticis calumniantibus religioſos, ſuo tempore eueniunt etiam in hac noſtra ætate, in qua ſicut ab inferis omnes hæreſes ſuſcitarunt, et renouarunt nouatores hæretici, ſic omnes calumnias renouarunt non ſolum contra Religiones, et Religioſos, ſed etiam contra ſtatus perfectionis Eccleſiæ Catholicæ Epiſcoporũ, vocantes eos pſeudoapoſtolos, et pſeudoprophetas, et nuncios, et miniſtros Antichriſti, ſuoſque ſermones, et libros his maledictis, et blaſphemijs implent, ideoque neceſſarium eſt vti eadem doctrina, qua vſi ſunt ſancti Patres aduerſus hæreticorum calumnias maximè de qua S. Tomas in opuſculo 19. doctiſſimè ſcripſit contra eorum proprias, et nouas fallacias, et ſolitas calumnias atque mendacia.

Decimatertia fallacia eſt inanis Philoſophia, et traditio hominum de quibus D. Paulus ad Coloſſenſes dicit: Ne quis vos depredetur per Philoſophiam, et inanem ſeductionem ſecundum traditionem hominum, et D. Hieron. ſuper Oſeam cap. 12. dicit quod quamuis conentur hæretici veritati miſcere mendacium ſicut oleum aquis, et cæteris humenibus, et liquentibus rebus non poteſt copulari, ſic veritas ſemper ſupra eſt, deorſumque mendacium, et omnes hæreſes poſſunt ſibi miſceri, et de pluribus vnum effici corpus, ſed cum oleo nunquam miſcentur veritatis. *Coloſ. 2.* *D. Hier. Oſea c. 12.*

Decimaquarta fallacia eſt gentilia dogmata, et ſimulacra præferre veritati Catholicæ ſicut fecit Iulianus, et ſolent dicere, quicquid facio mihi non poterit imputari, habeo Philoſophos, Imperatores gentiles, et argumenta Philoſophorum in mei fauorem, ſic D. Hieronym. ſuper Oſeam cap. 12. refert. *Hieron. Oſea 12.*

Decimaquinta fallacia eſt pulchritudo eloquentiæ ſecularis, et fortitudo artis Dialecticæ in ſophiſmatibus, hæretici enim labore nimio ac dolore quærendi ordinem aliquem, et conſequentiam, hæreſeos ſuę reperire conantur, ſed non habent feneſtras per quas ad eos lumen ve-

ritatis introeat, ſed foramina quædam, & occultos meatus, per quos noxia, & immunda; ingrediantur animantia. Sic D. Hieronym. ſuper Amoſ. cap. 1.

Amoſ. c. 1

Decimaſexta fallacia eſt confidentia vana ſuæ ſapientiæ, & eruditionis, de qua dicit Apoſt. 1. Cor. 1. Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam prudentium reprobabo, hi habent armaturam non fidei, ſed infidelitatis, accingunt lumbos non in veritate, & caſtitate, ſed in omni vitio, & luxuria, induti ſunt lorica, ſed non iuſtitiæ immo obſtinationis, portant gladium non ſalutis, ſed venenatum, & mortiferum, ſic armati non poſſunt Domini bella bellare contra veritatem dimicantes pro mendacio, & propter acumen ingenij diſcurrunt per teſtimonia Scripturarum, & Oratorum eloquentia, vel ſophiſmatibus Dialecticorum opprimere nituntur veritatem, & corruunt, quia in ſuis pedibus confidunt. Sic D. Hieronym. ſuper Amos cap. 2. & ſuper cap. 5. Amos addit D. Hieron. Quod vir ſapiens Catholicus Dei adiutus auxilio omnem munitionem hæreticorum oſtendit eſſe vaniſſimam. Et ſuper Abdiam cap. 1. Sicut ignis viciniam culmus non valet ſuſtinere ita diſputationem Iacob, quæ ignita eſt ſermone Domini (eloquia enim Domini igne examinata) & flammam Ioſeph (qui interpretatur augmentum, & qui à fratribus venditus populum pauit in Ægypto) domus Eſau ſuſtinere non poterit, ſed ad primam congreſſionem ſophiſmata eorum vertentur in nihilum, & deuorabuntur in ſalutem ſuam.

1. Cor. 1.

Pſal. 17.

Decimaſeptima fallacia eſt tranſire terminos Sanctorum Patrum de quibus dicitur Prouerb. 22. Non transferas terminos ſempiternos, quos poſuerunt Patres tui. Sic explicat D. Hieronym. Vide hæreticos in Dialectica ſibi & Rhetorica, & omnium ſophiſmatum dogmatibus applaudentes contemnere Eccleſiæ ruſticitatem, & quaſi indignam myſterijs ſuis, quæ ſibi quaſi idola confixerunt deſpicere, & habere pro nihilo ſolent, videntur quidem ſibi in eo, quod Gentiles non ſunt exijſſe de Sodomis, & Gomorris, ſed quia blaſphemant populum Dei in Sodomam reputabuntur, & Gomorram, & ita delebuntur, vt illæ deletæ ſunt ante, nullum in ſe habentes veſtigium viroris & vitæ, voluerunt enim dilatare terminos ſuos in terra Eccleſiæ, & populum Dei præcidere, deſertæ erunt, & deſtructæ.

Prou. 22.

TRA-

TRACTATVS OCTAVVS

DE PRACTICA HVIVS ARTIS NOSTRÆ APVD SANCTOS PATRES.

MVLTI fuerunt Hæreſiarchæ, & hæretici, qui in diuerſis ſeculis contra veram fidem Catholicam errores ſuos conati ſunt argumentis, rationibus, & (vt illi dicunt) demonſtrationibus probare, & perſuadere tàm voce, quàm ſcripto Dialectico more procedentes in ſuis ſcriptis. Sic Iulianus varia conſcripſit volumina rationibus Dialecticis munita. Sic Pelagiani philoſophati ſunt, & multi alij. Tempore quo floruerunt in Eccleſia Chriſti D. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Ambroſius, & alij celeberrimi DD. illius temporis; qui ſcripſerunt contra ſcripta ſingulorum hæreticorum ſui temporis: et in reſponſione ad argumenta hæreticorum, hac Arte vſi ſunt (vt in hoc Tractatu demonſtrabimus) quam imitatus eſt etiam S. Thomas, et ferè nullus alius ex modernis DD. noſtri ſeculi, vt argumenta hæreticorum per fallacias eorum, per quas conficiuntur ab eis, ſoluantur; quod eſt huius artis noſtræ principale intentum. Inſuper et ad conuincendum eos de euidenti falſitate.

Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias, ſecundum Diuum Auguſtinum.

Diuus Auguſtinus lib. 2. cap. 9. contra Iulianum proponit aliqua argumenta Iuliani, et ſoluit ea per fallacias, et dicit ſic. Sed iam quid egerimus per totum iſtum librum ſicut poſſumus breuiter colligamus: propoſuimus hic auctoritates more Sanctorum, qui Epiſcopi ante nos non ſolum ſermone, cum hic viuerent, verumetiam ſcriptis quæ poſteritati relinquerent, fidem Catholicam ſtrenuè defenderunt, veſtra argumenta confringentes; et proponit quinque argumenta.

Primum eſt. Si Deus homines creat non poſſunt cum aliquo malo naſci, et formatur argumentum ſic. Quidquid Deus creat bonum

eſt; ſed Deus homines creat, ergo homines non poſſunt cum aliquo malo naſci, ſed boni naſcuntur.

Secundum argumentum. Si nuptiæ bonum ſunt, nihil ex eis oritur mali; & formatur argumentum ſic. De bono non oritur malum, ſed nuptiæ bonæ ſunt ergo ex nuptijs non oritur malum.

Tertium argumentum. Si in baptiſmate peccata omnia remittuntur, non poſſunt nati de renatis trahere peccatum originale; & formatur ſic argumentum. Nemo tranſmittit in alium quod non habet: ſed baptizati non habent peccatum originale ergo nati ex eis non poſſunt trahere peccatum originale.

Quartum argumentum. Si iuſtus eſt Deus, non poteſt in alijs filijs parentum damnare peccata, cum ipſis parentibus dimittat, & propria; & formatur ſic argumentum. Iuſtitia Dei non damnat in vno, peccatum alterius: ſed ſi filij contrahunt peccatum originale, damnat Deus peccatum alterius in illis, ergo vel Deus non eſt iuſtus, vel non poſſunt damnari propter peccatum alterius originale.

Quintum argumentum. Si perfectæ iuſtitiæ capax eſt humana natura, habere non poteſt vitia naturalia: & formatur ſic argumentum. Natura humana eſt capax perfectæ iuſtitiæ: ſed cum perfecta iuſtitia non poteſt ſtare peccatum, ergo humana natura non poteſt habere vitia naturalia.

Reſpondet D. Auguſt. ad omnia ſupradicta argumenta per fallaciam conſequentis, his verbis: Ad hæc nos dicimus, & Deum eſſe hominum creatorem, hoc eſt, animæ, & corporis, vt in primo argumento, & bonas eſſe nuptias, vt in ſecundo; & per baptiſma Chriſti omnia peccata dimitti vt in tertio; & iuſtum eſſe Deum vt in quarto; & perfectæ iuſtitiæ capacem humanam eſſe naturam, vt in quinto argumento, & tamen cum hæc omnia vera ſint, obnoxios naſci homines origini vitiatæ, quæ trahitur ex homine primo, & ideo ire in damnationem, niſi renaſcatur in Chriſto. Hoc autem probauimus Catholicorum auctoritate Sanctorum, qui & hoc aſſerunt quod de originali peccato diximus, & illa quinque eſſe vera omnia confitentur. Ac per hoc non eſt conſequens vt hoc falſum ſit, quia vera ſunt illa; tales quippe ac tanti viri ſecundum Catholicam fidem quæ antiquitus toto Orbe diffundebatur, & hoc, & illa vera eſſe confirmat, vt veſtra fragilis, & quaſi argutula nouitas ſola auctoritate conteratur illorum, præterquam quod ea dicunt, vt ſe per eos loqui veritas ipſa teſtetur.

Sed nunc auctoritate primitus eorum, veſtra eſt contumacia comprimenda, vt à præſumptionis impetu repercuſſi, & quodámodo ſauciati, dum tales homines Dei, ſic in fide Catholica errare potuiſſe non

creditis,

creditis,vt aliquid dicerent, vnde eſſet conſequens Deum non eſſe hominum creatorem;nuptias eſſe damnandas, in baptiſmo non omnium remiſſionem fieri peccatorum; Deum eſſe iniuſtum; nullam ſpem nobis remanſiſſe virtutis perficiendæ; quæ omnia, vel aliquid eorum nefas eſt opinari; auſus præcipites refrænetis, & tanquam ex furore reſipiſcentes, incipiatis in qua nutriti eſtis, recolere, & aduertere, & reſumere veritatem.

Et in forma ſic reſpondetur ex verbis Sancti Auguſtini ad ſupradicta argumenta per fallaciam conſequentis in primo modo in quo ſecundum ſanctum Thomam proceditur à poſitione peccati in natiuitate, ad poſitionem creationis Dei ſine peccato; in ſecundo vero argumento proceditur à poſitione antecedentis quod non eſt cauſſa conſequentis; vt quod nuptiæ ſunt bonæ, non eſt cauſſa quod ex eis non oriatur malum. In tertio verò argumento proceditur ſimiliter à poſitione antecedentis, quod non eſt cauſſa conſequentis: quia hoc quod eſt remitti peccata in baptiſmo, non poteſt eſſe cauſſa liberandi renatos à peccato originali. In quarto verò argumento ſimiliter eſt in plus in ſuo antecedenti quam in ſuo conſequenti,& ſic non ſequitur ex hoc quod Deus non damnat aliquem propter alterius peccatum, quod non contrahat particulare originale peccatum, cum quo ex contagione naſcitur. In quinto argumento committitur eadem fallacia conſequentis, quia antecedens quod natura humana ſit capax iuſtitiæ perfectæ, non eſt cauſſa liberandi hominem à contagione naturali peccati originalis: & poteſt dici etiam fallacia non cauſſæ pro cauſſa.

Et lib. 3. contra Iulianum cap. 2. addit D. Auguſt. Vbi eſt acumen tuum quo tibi videris, & categorias Ariſt. aſſecutus, & aliam Dialecticæ Artis aſtutiam, loquitur de Arte ſophiſtica qua Iulianus vtitur.

Et lib. 3. contra Iulianum in cap. 2. in fine. Mira ſunt quæ dicitis, noua ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis; mira ſtupemus, noua cauemus, falſa conuincimus. Ex quibus verbis colligitur,quod poſſunt conuinci hæretici in eorum argumentorum ſolutionibus.

Et lib. 3. contra Iulianum cap. 7. ſic ponit argumentum Iuliani. Si mala commixtio corporum, deformis etiam conditio corporum in ſexuum diuerſitate poſitorum formatur ſic. Vbicunquè eſt mala commixtio corporum,eſt deformis conditio: ſed in coniunctione maris, & fœminæ eſt mala commixtio pèr peccatum,ergo in eorum corporum diuerſitate ſexuum eſt deformis conditio corporum.

Ad hoc argumentum reſpondet Sanctus Auguſtinus per fallaciam

conſequentis his verbis: Hoc ſi eſſet conſequens, me non premeret commixtionem nuptialem, ideſt liberorum procreandorum cauſſam, non ſolum malam non dico, verum eſſe bonam dico. Huc accedit, quia & conſequens non eſt, vt ſi ſemper eſt mala ſexus vtriuſque commixtio; propterea ſit deformis etiam conditio corporum, in ſexuum diuerſitate poſitorum. Profectò enim ſi in tantum homines eſſent malo libidinis ſubiugati, vt remota honeſtate nuptiarum, omnes indifferenter, ac paſſim canino more concumberent, non ideo deformis eſſet conditio corporum, cuius Deus auctor eſt; quoniam mala eſſet omnium hominum maris fœminæque commixtio: ſicut etiam nunc de adulterina commixtione vtique mala, bonum eſt in corporum conditione opus Dei. Vides nempe, quàm dialecticè nihil dixeris, & nulla quidem culpa dialecticæ diſciplinæ, tu quantum à tramite eius exorbitaueris? Videris illius artis verbis ad hoc vti, vt eis inflatos attonitos facias imperitos, volendo videri eſſe, quod non es. Quod et ſi eſſes, ad eum modum quo iſta diſputanda ſunt, nihil eſſes. Sed planè nunc & ineptus & imperitus, tunc autem ineptus artifex eſſes, & tamen dialecticorum quaſi iaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & iactas plumbeos pugiones, dicens: Si mala ſemper commixtio, deformis etiam conditio corporum in ſexuum diuerſitate poſitorum. Nec videns quàm non ſit conſequens, quod pro argumento neceſſario poſuiſti, adiungis, & dicis: Quod cum negare nequiueris. Quid eſt quod nequeo negare homo inconſiderate? quid eſt quod nequeo negare? Hoc nempe, quod tu iam ſi vel ſero ſapis, non potes niſi negare: quia non itaque ſi mala eſt commixtio adulterorum, propterea ex illis naſcentium conditio deformis eſt hominum. Illa quippe eſt hominum, malè operantium de membris bonis: iſta verò Dei eſt benè operantis de hominibus malis. Quòd ſi dixeris, etiam cùm fit adulterium, bona eſt per ſeipſam commixtio, quia naturalis eſt, ſed ea malè vtuntur adulteri; cur non vis acquieſcere ita poſſe eſſe libidinem malam, qua benè tamen vtantur gignendi gratia coniugati? An poteſt bonorum eſſe vſus malus, & non poteſt malorum bonus? cum inueniamus ipſo Satana quàm benè vſus fuerit Apoſtolus, tradens ei hominem in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus eſſet in die Domini, & alios vt diſcerent non blaſphemare.

Fallacia conſeq.

1. Cor. 5.

Et lib. 5. contra Iulianum cap. 14. ſic D. Auguſt. Magnum aliquid te Dialectica docuit, & proponit hoc argumentum Iuliani. Res quæ eſt in ſubiecto non poteſt eſſe ſine illa re in qua ſubiecta eſt: ſed malum, & peccatum primi parentis eſt in eo, vt in ſubiecto ergo nō poteſt peccatū primi parētis ad prolē peruenire quæ non eſt ſubiectū peccati.

Ad hoc

Ad hoc argumentum reſpondet D.Auguſt. per fallaciam æquiuocationis dicens: Non enim Ariſtoteles, cuius categorias inſipienter ſapis, ſed Apoſtolus dicit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum,& per omnes homines tranſijt. Nec ſanè tibi dialectica illa mentitur,ſed tu non intelligis. Verum enim eſt quod ibi accepiſti, ea quæ in ſubiecto ſunt,ſicut ſunt qualitates, ſine ſubiecto in quo ſunt,eſſe non poſſe,ſicut eſt in ſubiecto corpore,color aut forma; ſed afficiendo tranſeunt non emigrando: quemadmodum Æthiopes,quia nigri ſunt, nigros gignunt, non tamen in filios, parentes colorem ſuum velut tunicam transferunt, ſed ſui corporis qualitate, corpus quod de illis propagatur afficiunt. Mirabilius eſt autem quando rerum corporalium qualitates in res incorporales tranſeunt, & tamen fit, quando formas corporum quas videmus, haurimus quodammodo, & in memoria recondimus,& quocumque pergimus,nobiſcum ferimus, nec illæ receſſerunt à corporibus ſuis, & tamen ad nos mirabili modo affectis noſtris ſenſibus tranſierunt. Quomodo autem de corpore ad ſpiritum, eo modo tranſeunt de ſpiritu ad corpus: Nam colores virgarum quas variauit Iacob,afficiendo tranſierunt in animas pecorum matrum,atque inde rurſus eadem affectione tranſeundo apparuerunt in corporibus filiorum. Tale vero aliquid etiam in fœtibus humanis poſſe contingere, Soranus medicinæ auctor nobiliſſimus ſcribit, & exemplo confirmat hiſtoriæ. Nam Dionyſium tyrannum narrat,eo quod ipſe deformis eſſet,nec tales habere filios vellet,vxori ſuæ in concubitu formoſam proponere ſolere picturam, cuius pulchritudinem concupiſcendo quodammodo raperet,& in prolem quam concipiebat,afficiendo tranſmitteret. Neque enim Deus ita naturas creat, vt leges auferat, quas dedit motibus vniuſcuiuſque naturæ. Sic & vitia quamuis ſint in ſubiecto,ex parentibus tamen in filios non quaſi tranſmigratione de ſuo ſubiecto in ſubiectum alterum, quod fieri non poſſe categoriæ illæ quas legiſti veriſſimum oſtendunt;ſed,quod non intelligis, affectione,& contagione pertranſeunt.

Rom 5. Gen. 5. *Gen. 29.* *Soranus.*

Et Diuus Auguſtinus ſuper Pſalm. 37. & ſuper illa verba. Et dolos tota die meditabantur,de fallacijs interpretatur, dolos,ideſt fallacias ſine ceſſatione meditati ſunt Iudæi contra Chriſtum, & hæretici contra Eccleſiam, & veritatem eius, & membra eius, verba enim Chriſti calumniati ſunt Iudæi,hic dixit: Deſtruam templum hoc manufactum, & Chriſtus non dixit manufactum, loquebatur de templo corporis ſui, & poſt Reſurrectionem, dicite quia vobis dormientibus venerunt diſcipuli, & tulerunt corpus eius. Auguſt. Stulta fallacia,ſi dormientes, quomodo teſtes ſcientes? Sic hæretici verba ſacræ Scripturæ

Matt. 18. *Matt. 18.* *D. Auguſt.*

mu-

mutant, truncant peruertunt, & allegant, dolos tota die meditantes, & ſcribentes in ſuis libris, & prædicationibus.

Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias ex Sancto Gregorio Nazianzeno.

1. obiectio Aeuno. SAnctus Gregorius Nazianzenus in oratione 35. num. 14. propoſuit plurima argumenta Aeunomij, & ſoluit ea per fallacias his verbis: Quid ergo, inquies, ſi Filius & Spiritus ſanctus Patri coæterni ſunt, quid afferri poteſt, quin principij quoque, quemadmodum & ille, ſint expertes? Quia ab ipſo ſunt, licet non poſt ipſum. Quod enim principio caret, æternum quoque eſt: quod autem æternum eſt, non protinus quoque principio vacat, quamdiu ad Patrem, velut ad principium, & originem, refertur. Ergo illi, quantum ad cauſſam, principio minimè carent (perſpicuum eſt autem cauſſam non omnino antiquiorem eſſe ijs, quorum cauſſa eſt: neque enim ſol lucem tempore antecedit) quantùm autem ad tempus, principij expertes ſunt, quamlibet tu verborum laruis ſimpliciores animos territes. Nec enim tempori ſubſunt ea, ex quibus tempus originem ſumpſit.

2. obiectio. Quomodo ergo à paſſione immunis eſt hæc generatio? Quia incorporea. Si enim corporea generatio paſſionem coniunctam habet, expers vtique paſſionis erit incorporea generandi ratio. Atque ego ex te viciſſim quæram, quomodo Deus erit, ſi creatura eſt? Non enim Deus eſſe poteſt, quod creatur. Ne interim dicam, hic quoque paſſionem eſſe, ſi corporeo modo creationem accipiamus, hoc eſt, tempus, cupiditatem, informationem, curam, ſpem, mœrorem, periculum ſpei fruſtrationem, correctionem: quæ omnia, atque his plura, circa creationem accidere nemo eſt qui non facilè perſpiciat. Demiror autem, quin tu eò quoque audacia prorumpas, vt coitus quoſdam & prægnationis tempora, & abortus pericula cogites: perinde ac non aliter gignere potuerit Pater, ſi non ita genuerit: aut rurſus auium quorundam, aliorumque animalium, quæ vel in terra, vel in aquis degunt, generationes enumeres, ac cuipiam harum generationum diuinam illam, & quæ nullis verbis enunciari poteſt, ſubijcias, aut etiam Filium per hanc nouam hypotheſim de medio tollas. Ac ne illud quidem perſpicere potes, cuius diuerſa ſit carnalis generatio (eccubi enim alias apud homines Deiparam Virginem noſtram) huius diuerſam quoque atque ab alijs diſcrepantem eſſe ſpiritualem generationem: vel, vt rectiùs dicam, cuius eſſe ipſum minimè idem ſit, eius diuerſam quoque eſſe generandi rationem.

Quinam

Quinam ergo eſt Pater ille, qui principij expers ſit? Nempe is, cu- *3. obiectio.*
ius ne ipſius quidem eſſentiæ origo vlla reperiri poteſt. Qui autem aliquando eſſe cœpit, hic quoque paternitatis ſuæ principium habuit. Quamobrem nec Pater poſtea extitit, quandoquidem nec eſſe aliquando cœpit: & Pater propriè eſt, quia non etiam filius: quemadmodum viciſſim filius propriè filius, quia non etiam pater. Nam quod ad nos attinet, neutro nomine propriè appellari poſſumus, quoniam vtrunque ſumus (neque hoc potius, quàm illud) nec ex vno, ſed ex vtroque parente naſcimur, ac proinde diuidimur, paulatimque homines, immò ne homines quidem fortaſſe efficimur, qualeſque eſſe volumus, tùm dimittentes, tùm dimiſſi, adeò vt ſolæ relationes rebus ipſis orbe relinquantur.

At, inquies, ipſum hoc, Genuit, & Genitus eſt, quid aliud quàm ge- *4. obiectio.*
nerationis principium inducit? Ego verò ita reſpondeo: Quid ſi ne hoc quidem dixerimus, ſed, A principio genitus erat, vt curioſas ipſas ac temporis amicas obiectiones nullo negotio fugiamus, an tu crimen nobis inferes, vt Scripturæ ac veritatis aliquid adulterantibus? Nonne cuiuis perſpicuum eſt, ac præſertim in Scripturæ vſu poſitũ, vt pleraque ex his, quæ temporaliter dicuntùr, inuerſa temporum ratione proferantur, nec ea ſolum, quæ præteriti temporis ſunt, aut præſentis, ſed etiam quæ futuram ſignificationem habent? Quo in genere illud eſt, Quare fremuerunt gentes? (nondum enim fremuerunt) & in flumine *Pſal 2.*
pertranſibunt pede, ideſt, pertranſierunt. Nimis longum foret omnes *Pſal. 65.*
huiuſmodi voces recenſere, quæ à ſtudioſis obſeruatæ ſunt. Atque ad hunc modum ſe habet hæc illorum obiectio.

Iam quale illud eorum eſt, cuiuſque rixandi libidinis & impuden- *5. obiectio.*
tiæ: Vel volens, inquiunt, Filium genuit, vel nolens. Ac deinde nexibus, vt quidem ipſi putant, vtrinque aduerſarios colligant, non tamen firmis, ſed per quam etiam imbecillis. Si enim nolens, inquiunt, vim ergo ei allatam neceſſe eſt. Et quiſnam eſt qui vim intulit? quoque modo, cui vis allata eſt, Deus eſſe poteſt? Si autem volens, ergo Filius voluntatis eſt Filius. Quo igitur modo ex Patre progenitus eſt? Ita nouam quandam matrem voluntatem, Patris loco comminiſcuntur. In hoc quidem argumento, primùm hoc ſcitum ac lepidum eſt, quod à paſſione illa, quam tantopere vrgebant, abſcedentes, ad voluntatem confugiunt. Nec enim paſſionis eſt voluntas.

Deinde videamus, obſecro, quam vim habeat quod dicunt. Commodiſſimum autem fuerit, prius cum ipſis pedem propius conferre. Dic ergo ipſe, quiſquis es, qui temere, quicquid libido tua tulerit, effutis. Ex volente patre tuo procreatus es, an nolente? Si ex nolente, vis ergo ei alla-

ei allata eſt: (ô indignum facinus.)Et quis tandem ei vim attulit? Non enim profectò naturam dixeris. Nam ei quoque ſua conſtat caſtitas. Si autem ex volente patre,pater tibi propter paucas ſyllabas perijt. Voluntatis ſiquidem filius,ac non patris extitiſti.

Sed ad Deum & creaturas tranſeo,ac tuammet quæſtionem ſapientiæ tuæ admoueo. Volensne Deus vniuerſam hanc rerum molem condidit,an nolens & coactus? Si coactus, hic quoque vim adhibitam vides: & quis tandem adhibuit? Si autem volens, orbantur Deo, cùm aliæ creaturæ, tùm tu etiam in primis,qui tales ratiocinationes excogitas,taleſque verborum captiones. Intermedia quippe voluntate à creatore diſiungentur.

Verùm aliud ni fallor, eſt volens, aliud voluntas: aliud gignens, aliud generatio: aliud qui loquitur, aliud ſermo: niſi fortè temulenti ſumus. Horum enim alterum eſt is qui mouet: alterum velut motus ipſe. Non ergo voluntatis eſt id quod in voluntatem cecidit (neque enim hoc prorſus ſequitur) nec quod genitum eſt, generationis, nec quod auditum eſt, locutionis: ſed volentis, & gignentis, & loquentis.

At quæ in Deo conſiderantur, ſupra hæc quoque omnia ſunt,vtpote cui generatio fortaſſe ſit ipſa gignendi voluntas, nec quicquam inter vtranque intercedat: ſi modo hoc quoque omnino admittimus, ac non potius ſtatuimus generationem hanc voluntate ſublimiorem & præſtantiorem eſſe. Viſne in Patrem quoque ipſum cauillis nonnihil ludam? tu mihi anſam talia audendi præbes. Pater itaque vel volens Deus eſt,vel nolens. Ac vide qua tandem ratione ſcitum illud tuum & acutum argumentum effugies. Si volens, quando velle cœpit? non enim priuſquam eſſet Neque enim prius quicquam erat. An partim in eo quiddam fuit quod voluit, partim quiddam quod in voluntate cecidit? Diuiſibilis igitur erit. Quid autem afferri poterit,quin iuxta tuam argumentandi rationem,ipſe quoque voluntatis fœtus ſit? Quòd ſi nolens,quis eum coegit,vt eſſet? Quo etiam modo Deus, ſi coactus eſt,& quidem non ad aliud quicquam, quàm ad hoc vt Deus eſſet? Quòd ſi iam me rogas,quomodo Filius genitus ſit,viciſſim ex te quæram,quomodo creatus ſit, ſiquidem creatus eſt, vt ipſe aſſeris. Nam id quoque eiuſdem perplexitatis eſt. Dices fortaſſe, voluntate & ſermone. At nondum rem totam expedis. Quomodo enim operis vim voluntas & ſermo habuerint,explicandum adhuc reſtat. Neque enim homo ita fabricatur. Quomodo ergo genitus eſt? quærere perges. Haud magna eſſet hæc generatio,ſi à te percipi poſſet,quippe qui non tuam quidem noris, aut certè exigua quadam ex parte perçeperis, quantumque

te di-

te dicere pudeat. Et poſtea eam plenè tibi cognitam eſſe cenſes. Magnus tibi labor prius ſubeundus eſt, quàm vt rationes eas inuenias, quibus conſtitutus, formatus, ac manifeſtatus fueris, quibus etiam anima cum corpore, mens cum anima, ratio cum mente quaſi vinculis quibuſdam aſtringatur: tum quomodo corpus moueatur, & augeatur, atque alimentum aſſimiletur: ad hæc quæ ſit ſenſuum ratio, quæ memoriæ, quæ reminiſcentiæ, rerumque cæterarum, ex quibus conſtas: ac præterea quæ coniunctim vtriuſque partis ſint, quæ diuiſa & ſeparata, quæ rurſus à ſe inuicem accipiant. Quæ enim temporis progreſſu perfectionem ſuam conſequuntur, eorum certè rationes ipſæ ſimul cum generatione extiterunt. Dic ergo quæ ſint hæ rationes: ac ne tum quidem de Dei generatione pertracta. Nec enim id periculo vacat. Si enim tuam cognoſcis, non protinus ſequitur, Dei quoque generationem tibi cognitam & exploratam eſſe. Si autem tua tibi ignota eſt, quo tandem modo Dei generatio tibi nota erit? Quantò enim difficilius eſt Dei naturam, quàm hominis, indagare: tanto quoque difficilius percipi poteſt ſuperna illa, & diuina generatio, quàm tua. Quòd ſi, quia eam cognitione aſſequi nequis, idcirco ne genitum quidē eſſe contendis, tempus iam tibi fuerit, multa, quæ tu minimè percepiſti, atque ante omnia Deum quoque ipſum, è rerum natura delere atque obliterare. Neque enim, quid tandem ſit, explicare potes, quemlibet audax ſis, atque in ſuperuacaneis rebus ſtrenuus, & magnanimus. Tuas illas fluxiones, & diuiſiones, & ſectiones prius abijce, ac de incorporea illa natura, quaſi de corporea, diſputare deſine: atque ita fortaſſe dignum aliquid generatione diuina concipere animo queas. Quomodo genitus eſt? (idem enim indignabundus repeto) Dei generatio, ſilentij honore decoretur. Abundè maghum tibi eſt ſcire, eum genitum eſſe. Quo autem modo genitus ſit, ne ipſis quidem Angelis, nedum tibi intelligere conceſſerim. Vis declarem quomodo? Vt ſcit Pater, qui progenuit, & Filius qui progenitus eſt. Quod ſupra hæc eſt, nube obtegitur, animique tui hebetudinem fugit.

Sed argutari pergunt. Exiſtentem, vel non exiſtentem genuit Pater. *6. obiectio.* O futiles nugas. Hæc enim mihi ac tibi conueniunt, qui partim eramus, vt Leui ille in lumbis Abrahæ, partim procreati ſumus: ac proinde partim ex entibus, partim ex non entibus ſumus: contra quàm in primigena illa materia accidit, quæ haud dubiè ex non ente procreata eſt, vtcumque eam nonnulli æternam eſſe confingant. At hic generatio cum eſſentia ipſa concurrit, atque à principio extitit. Vbi ergo anceps illud tuum, atque vtrinque præceps argumentum pones? Quid enim eo, quod à principio erat, antiquius eſſe poteſt, vt illic tem-

pus collocemus, vel quo erat Filius, vel quo non erat? Vtroque enim modo illud, à principio, diſſoluetur & euertetur. Niſi fortè tibi quoque Pater percunctantibus rurſus nobis ex entibus ne an ex entibus ne an ex non entibus ſit, duplex eſſe periclitetur, alter nimirum præexiſtens, alter exiſtens, aut certè propter ludicras tuas interrogationes, atque ex arena conſtructas domos, quæ ne leuibus quidem ventis reſiſtere poſſunt, idem ei, quod Filio, accidat, hoc eſt, ex non ente ſit. Ego quidem neutrum horum admitto, quæſtionemque hanc tuam abſurditatis multum, difficultatis nihil habere aio. Quòd ſi tu iuxta tuas dialecticas ſententias in omni argumento alterutram diſiunctionum veram eſſe oportere exiſtimas, paruam quandam interrogatiunculam à me accipe. Tempus eſtne in tempore, annon? Si in tempore, quo tandem? quidque præter hoc exiſtente? quoquo modo hoc continente? Si autem non in tempore, quæ hæc eximia ſapientia, tempus temporis expers inducere? Age huius ſermonis, nunc ego mentior, da alterum aut dumtaxat verum eſſe, aut falſum (non enim vtrunque dabimus.) Atqui nullo modo hoc fieri poteſt. Vel enim mentiens verum dicet, vel mentietur verum dicens. Ita prorſus neceſſe eſt. Quid igitur mirum, ſi quemadmodum hic contraria concurrunt, ita etiam illic vtraque pars à vero aberret, atque ita ſcitum illud, & eruditum tuum argumentum ſtultum atq; ineptum appareat? Ac velim mihi hoc etiam ænigma ſoluas: Aderasne tibi cum gigneris? adeſne etiam nunc tibi? an neutrum horum? Si enim aderas, & ades, quiſnam tandem, & cui? Et quomodo vnus duo effectus es? Si autem neutrum horum quæ diximus, quomodo à teipſo diſiungeris? & quæ diſiunctionis huiuſce cauſſa? Sed ineptum eſt, inquies, cum de vno diſputatur, adſitne ſibi necne, curioſius inquirere. Hæc enim in alijs, non in nobiſipſis, dicuntur. Ineptius, mihi crede, eſt, id, quod à principio erat, verum ante generationem erat, necne in quæſtionem vocare. Hæc enim diſputatio ijs demum conuenit, quæ tempore diuidi poſſunt.

7. obiectio At enim, inquiunt, non idem ſunt genitum & ingenitum: ac proinde, nec Filius cum Patre idem eſt. Primum hoc argumento vel Patrem vel Filium à diuinitate ſubmoueri, clarius eſt, quàm vt commemoratione vlla indigeat. Si enim ingenitum eſſentia Dei eſt, profectò genitum eſſentia non erit: aut ſi hoc, proculdubio non illud. Quis enim eſt qui contrarium diſputando tueri queat? Quamobrem, vtram è duabus impietatibus malis, elige, ò noue Theologe, ſiquidem impiam doctrinam omnino amplecti tibi propoſitum eſt. Deinde, quomodo ingenitum & genitum non idem eſſe dicis? Si per hæc verba nihil aliud intelligis, quam id quod increatum & quod creatum, in eadem

ipſe

ipſe quoque ſum ſententia. Neque enim natura idem eſt quod principio caret, & quod procreatum eſt. Sin autem his verbis eum, qui genuit, & eum, qui genitus eſt, accipis, haud quaquam rectè id abs te dicitur. Idem enim omnino eſſe neceſſe eſt. Hæc quippe geniti natura eſt, vt, idem, ſi naturam ſpectes, ſit cum eo qui genuit. Vel ad hunc rurſus modum agamus: Quid per ingenitum ac genitum intelligis? Si ipſam ingeniti, & geniti proprietatem, non idem ſunt: ſin autem ea, quibus hæc inſunt, quid vetat quominus idem ſint? Quandoquidem quod inſipiens eſt, & ſapiens, inter ſe quidem non idem ſunt: verum circa eundem hominem conſiderantur: nec ſubſtantias ſcindunt, ſed circa eandem ſubſtantiam ſcinduntur. Quid? An etiam immortalitas, & innocentia, & immutabilitas, eſſentia Dei ſunt? At ſi ita eſt, multæ Dei eſſentiæ erunt, non vna: aut certè compoſitus ex his Deus erit. Neque enim hæc citra compoſitionem eſſe queunt, ſi modo eſſentiæ ſunt. Hæc quidem haud dicunt. Communia quippe aliorum quoque ſunt. Quod autem ſolius Dei eſt, ipſique propriè conuenit, hoc ipſis eſſentia eſt. Atqui ſolius Dei ingenitum eſſe, minimè illi conceſſerint, qui materiam quoque & formam, vt ingenitas, induxerunt (Manichæorum enim tenebras longius adhuc proijciamus.) Sed ſit ſanè ſolius Dei ingenitum. Quid Adam? Nonne ſolus à Deo effictus eſt? Maximè, inquies. Vtrum ergo ſolus quoque homo? Minimè. Quare? Quia effectio humanitas non eſt. Nam is quoque, qui progenitus eſt, homo eſt. Eodem modo nec ingenitum ſolum Deus eſt, & ſi ſolius Patris. Verùm admitte etiam eum qui genitus eſt, Deum eſſe. Ex Deo quippe eſt, quamlibet tu ingenito faueas. Ad hæc quomodo Dei eſſentiam dicis, non eius, quod eſt, poſitionem, ſed eius, quod non eſt detractionem? Vox enim ingeniti hoc ſignificat, eum generationis expertem eſſe, non autem declarat quidnam natura ſua ſit, id quod generatione caret.

Quænam ergo eſt Dei eſſentia? Tuæ eſt audaciæ hoc dicere, qui generationem quoque ipſam anxiè perſcrutaris: nobis autem abunde magnum atque amplum fuerit, ſi in poſterum quoque hoc diſcamus, ſoluta videlicet hac caligine & craſſitie, vt pollicitus eſt is, qui non mentitur. Ergo hoc ab his, qui ad eam rem ſeſe perpurgant, cogitetur, ac ſperetur. Nos autem hoc dumtaxat dicere non dubitamus, ſi magnum Patri eſt à nullo profectum eſſe, non minus illuſtre Filio eſſe, ex tali Patre prodiſſe. Nam præterquam quòd gloriæ illius, qui cauſſam à nullo habet, particeps eſt, quia ex eo eſt, accedit etiam generationis decus, res tanta, tamque veneranda, ijs vtique, qui non omnino humi prouoluti ſunt, craſſoque animo præditi.

8 obiectio. Sed ſi Filius, inquiunt, eſſentiæ ratione idem cum Patre eſt, profectò, cum ingenitus ſit Pater, ingenitus quoque Filius erit. Rectè, ſi ingenitum eſſentia Dei eſſet, vt ſic noua quædam mixtio eſſet genito ingenitum. Cum autem hoc diſcrimen circa eſſentiam conſideretur, quid tu hoc quaſi firmum quiddam profers? An tu quoque patris pater es, vt nulla re à Patre tuo ſupereris, quandoquidem eſſentia idem cum eo es? Nonne perſpicuum eſt; proprietate fixa & ſtabili permanente, quærendum nobis eſſe quæ ſit Dei eſſentia, ſi modo ea vllo modo quærenda eſt? Quòd autem ingenitum, & Deus, idem non ſint, hinc fere intelliges. Si enim idem eſſent, prorſus, quoniam Deus quorundam Deus eſt, quorundam quoque ingenitum eſſet: aut contra, quoniam ingenitum nullius eſt, nec Deus quoque quorundam eſſet. Nam quæ omnino eadem ſunt, ſimiliter etiam efferuntur. Atqui quorundam non eſt ingenitum (quorum enim?) cùm Deus quorundam Deus ſit) omnium quippe.) Quo ergo modo idem erunt, Deus & ingenitum? Ac rurſus, quoniam ingenitum & genitum inter ſe opponuntur, vt habitus & priuatio: ſubſtantias quoque inter ſe oppoſitas induci neceſſe eſt: quod nemo concesſerit. Aut rurſus, quoniam habitus priuationibus priores ſunt, ac priuationes habitus ipſos extinguunt, non ſolum antiquior erit Filij eſſentia, quam Patris, ſed etiam iuxta hypotheſes tuas à Patre extinguetur ac de medio tolletur. Quid adhuc ſupereſt ex ineluctabilibus ipſorum, vt putant, argumentis? Fortaſſe ad illud poſtremum confugient.

9 obiectio. Si Deus gignendi finem non fecit, imperfecta eſt generatio. Et quando finem facturus eſt? Si autem gignere ceſſauit, omnino quoque cœpit. Sic rurſus craſſi & corporis rebus affixi homines corporeas ratiocinationes afferunt. Ego vero ſic reſpondeo: Sempiternumne ſit Filio naſci, necne, nondum dico, quo adusque illud Scripturæ; Ante

Prou 8. omnes colles gignit me, accuratiùs expendero. Illud autem non video, quam neceſſarium ſit hoc eorum argumentum. Si enim, vt ipſi aiunt, aliquando id cœpit, quod finem habiturum eſt, profectò id non cœpit, quod finem non eſt habiturum. Quid ergo de anima, vel de angelica natura pronunciabunt? Si principium habuit, finem quoque habebit: ſi autem fine carebit, ſecundum eos vtique principio quoque hanc caruiſſe conſtat. Atqui & principium habuit, nec vnquam eſſe deſinet. Falſum eſt itaque aiunt, id quod finem habiturum eſt, principium quoque habuiſſe. Enimuero doctrina noſtra hæc eſt: vt equi, & bouis, & hominis, ac denique vniſcuiuſque earum rerum, quæ ſub idem genus cadunt, eadem eſt definitio, ac quidquid definitionis huiuſce particeps eſt, hoc etiam propriè dicitur: eodem modo vnam que-

Digitized by Google

que Dei eſſentiam, & naturam, & appellationem eſſe, tametſi per cogitationes quaſdam diſtinctas, nomina quoque ſimul diſtinguantur: ac Deum, & quod propriè dicitur, id etiam eſſe, & rurſus quod natura ſua ſit, hoc quoque propriè nuncupari: ſi modo non in nudis nominibus, ſed in rebus nobis veritas ſita eſt.

At iſti perinde ac pertimeſcant, ne quid aduerſus veritatem immotum relinquant, Deum quidem Filium eſſe fatentur, cum hoc ab eis, & ratio ipſa, & Scripturæ teſtimonia extorquent: ſed æquiuocè Deum dici, ac nominis ſolius participem eſſe contendunt. Cumque hanc ipſis obiectionem ſubiecerimus. Quid ergo? Non propriè Deus eſt Filius quemadmodum nec animal pictum? Quomodo ergo Deus, ſi Deus propriè non eſt? Quid enim prohibet, inquiunt, & æquiuoca hæc eſſe, & propriè vtrumque dici? Ac nobis, & terreſtrem, & marinum canem proferent, qui cum ſub eodem nomine diuerſam ſignificationem habeant, propriè tamen dicuntur. (Eſt enim huiuſmodi quoque ſpecies quædam æquiuoca) & ſi quid aliud eadem appellatione vtitur, eiuſque peræquè particeps eſt, cum interim naturæ ratione diffideat. Atqui, vir optime, cũ illis duas naturas ſub eadẽ appellatione colloces, neutram altera præſtantiorem introducis, nec alteram priorem, alterã poſteriorem, nec denique alteram quæ magis, alteram quæ minus ſit id quod eſſe dicitur. Neque enim quicquam coniunctum eſt quod hanc ipſis neceſſitatem afferat. Non enim hic canis magis canis eſt, quam ille canis hoc eſt marinus magis quàm terreſtris, vel contra terreſtris magis quàm marinus (cur enim, aut qua ratione?) ſed in rebus, diuerſis quidem illis, verum pari honore præditis communis eſt appellatio. Hic vero, cum Deo venerationem adiungas, eumque ſupra omnem eſſentiam & naturam eſſe dicas (quod Dei ſolius eſt, & velut diuinitatis natura) ac deinde Patri quidem hoc tribuas, Filium autem priues, atque ſubijcias, ſecundaſque illi honoris, & adorationis partes aſſignes, quamuis verborum ſyllabis æqualitatem ipſi largiaris, reipſa tamen diuinitatem ei amputas, ac veteratoriè ab eo homonymiæ genere, quod æqualitatem complectitur, ad genus illud tranſis, quod res æquales minimè conuertit. Ac proinde, vt quidem argumentari inſtituis, pictus ille ac viuus homo, ad diuinitatem adumbrandam propius accedunt, quàm canes, quos exempli cauſſa propoſuiſti. Alioqui vtrique, vt nomen commune, ſic etiam parem naturæ dignitatem tribue, etiamſi diuerſas eas inducis. Atque ita canes illos tuos deleueris, quos aduerſus diſparem Patris ac Filij naturam excogitaras. Quis enim homonymiæ fructus, ſi dignitate pares ſint, qui à te diuiduntur? Nec enim, vt eos honore æquales, ſed vt diſpares oſtenderes, ad homonymiam

Aequiuocatio.

miam illam confugiſti? Quonam modo quiſpiam magis conuinci queat, & ſecum ipſe, & cum diuinitate pugnare? Iam ſi dicentibus nobis, Patrem, quantum ad cauſſam, Filio maiorem eſſe, ipſi hanc præpoſitionem aſſumant, at cauſſa natura; poſteaque concluſionem hanc ſubnectant, ergo maior natura, haud ſcio, ſeipſoſne potius, an eos, cum quibus diſputant, captioſa hac argumentatione circumueniat.

Neque enim ſimpliciter, quæcumque de aliquo dicuntur, etiam de eo, quod ipſi ſubiectum eſt, dicuntur, quominus ipſe quoque allata hac propoſitione, Pater maior natura eſt, ac deinde aſſumpta altera, natura autem non omnino maior, neque Pater, ita poſtremo concludam, Maius igitur non omnino maius, vel, Pater non omnino pater, vel ſi mauis, ad hunc modum agam: Deus eſt eſſentia: Eſſentia non omnino eſt Deus: quod ſequitur ipſe concludes: Ergo Deus non omnino Deus. Verum, ni fallor, ab eo, quod ſecundum rationem quandam dicitur, ad id quod ſimpliciter dicitur, captioſè progreditur hæc argumentatio, quod artis huius ſtudioſis vſitatum eſt & familiare. Nam cum nos hanc vocem, maius, cauſſæ, naturæ, tribuamus, inferunt ipſi, naturam maiorem eſſe. Quod proinde eſt, ac ſi dicentibus nobis, hic mortuus homo, inferrent ipſi, Ergo homo.

Fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter.

Illud verò, non minus ſuſpiciendum, quam quæ ſuperius dicta ſunt, quo tandem modo prætermittemus? Pater, inquiunt, vel eſſentiæ, vel actionis nomen eſt: ſic enim nos vtrinque ita aſtrictos putant, vt nulla ratione ex eorum vinculis elabi poſſimus. Si enim eſſentiæ nomen eſſe dixerimus, aſſentiemur, vt exiſtimant, Filium diuerſam à Patre eſſentiam habere: quandoquidem vna ſit Dei eſſentia, quam Pater, vt cenſent, iam ante occuparit. Sin autem actionis, creatum eſſe fatebimur, non genitum. Vbi enim eſt agens, illic quoque omnino id, quod agitur, eſſe neceſſe eſt. Quonam porrò modo id, quod factum ſit, cum factore idem eſſe queat, mirari ſe dicent.

Ego verò ſic reſpondeo: Me quoq; ipſum vehementer hæc diſtinctio veſtra permoueret, ſi mihi duorum alterum neceſſario admittendum eſſet, ac non potius vtraque diſiunctionis parte vitata, tertium aliquid verius dicere liceret. Nec enim eſſentiæ nomen eſt Pater, viri acutiſſimi, nec actionis: ſed relationem eam indicat, quam Pater erga filium habet, vel filius erga Patrem. Vt enim apud nos hæc nomina germanam quandam coniunctionem & neceſſitudinem declarant: ad eundem modum illic quoque Genitorem ac Genitum eandem naturam habere ſignificant. Sed ſit ſanè, in veſtri gratiam, Pater eſſentia quædam: Filium vtique ſimul introducet, non autem remouebit, & alienabit: vt & communes notiones ferunt, & ipſa nominum horum vis ac facul-

Aequiuocatio.

ac facultas. Sit etiam actionis, ſi ita videtur: ne ſic quidem cauſſam obtinebitis. Eodem enim modo dicemus hoc ipſum egiſſe Patrem, vt conſubſtantialis ipſi Filius eſſet: etſi alioqui abſurditate non caret huiuſmodi actionis opinio. Videſne quo pacto, quamlibet improbè ac malignè pugnare ſtudeatis captiones tamen veſtras effugiamus.

Notandum, quod Græci DD. etiam Catholici vtuntur nomine cauſæ pro principio, quod apud Latinos non eſt in vſu, & ſimiliter vtuntur Doctores Græci nomine naturæ pro cauſa. Latini verò DD. pro nomine naturæ vtuntur nomine auctoritate dantis; & ſic dicunt quod Pater maior eſt filio ratione principij, & ratione auctoritatis dantis.

Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias, & ſophiſmata ex Diuo Hieronymo.

SAnctus Hieronymus Pater noſter in epiſtola ad Cteſiphontem aduerſus Pelagianos, ſoluit argumenta cuiuſdam diſcipuli Pelagiani per fallacias, his verbis: Hoc, quod dico, non meum eſt argumentum: vnus diſcipulorum eius immo iam magiſter, & totius ductor exercitus, & contra Apoſtolum, vas perditionis, per ſolœciſmorum, & non, vt ſui iactitant, ſyllogiſmorum ſpineta decurrens, ſic philoſophatur, & diſputat: Si nihil ago abſque Dei auxilio; & per ſingula opera, eius eſt omne, quod geſſero: ergo non ego, qui laboro, ſed Dei in me coronabitur auxilium; fruſtraque dedit arbitrij poteſtatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adiuuerit. Deſtruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus; quod aliter liberum non erit, niſi fecero quod voluero. Ac per hoc ait: Aut vtor ſemel poteſtate, quæ mihi data eſt, vt liberum ſeruetur arbitrium: aut, ſi alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me deſtruetur. *Rom. 9.*

Qui hæc dicit, quam non excedit blaſphemiam? quæ hæreticorum venena non ſuperat? Aſſerunt ſe per arbitrij libertatem nequaquam vltra neceſſarium habere Deum, & ignorant ſcriptum: Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, rebellis in Deum es: quam nos libenter amplectimur, ita dumtaxat, vt agamus ſemper gratias largitori; ſciamuſque nos nihil eſſe, niſi, quod donauit, in nobis ipſe ſeruauerit, dicente Apoſtolo: Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Velle & currere meum eſt: ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non erit meum. dicit enim idem Apoſtolus: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Et Saluator in Euangelio: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor; ſemper largitor, ſemperque donator eſt. Non mihi ſufficit, quod ſemel donauit, niſi ſemper donauerit. *1. Cor. 4.* *Rom. 9.* *Philip. 2.* *Ioan. 5.*

uerit. Peto, vt accipiam: &, cum accepero, rurſus peto. Auarus ſum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego ſatior in accipiendo. quanto plus bibero, tanto plus ſitio. legi enim à Pſal-

Pſal. 33. miſta cantari: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Omne, quod habemus bonum, guſtus eſt Domini. Cum me putauero ad

Prou. 1. calcem perueniſſe virtutum, tunc habeo principium. Principium enim ſapientiæ timor Domini; qui expellitur, atque deſtruitur carita-

Luc. 17. te. Hæc hominibus ſola perfectio, ſi imperfectos eſſe ſe nouerint. Et vos, inquit, cum omnia feceritis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis eſt, qui fecit omnia; quid de illo

1. Cor. 13. dicendum eſt, qui explere non potuit? Vnde & Apoſtolus, ex parte accepiſſe; & ex parte comprehendiſſe ſe dicit, & necdum eſſe perfectum,

Philip 3. præteritorumque obliuiſci, & in futurum ſe extendere. Qui ſemper præteritorum obliuiſcitur, & futura deſiderat, oſtendit ſe præſentibus non eſſe contentum.

Quod autem ſurſum deorſum iactitant, liberum à nobis arbitrium deſtrui; audiant è contrario, eos arbitrij deſtruere libertatem, qui malè eo abutuntur aduerſum beneficium largitoris. Quis deſtruit arbitrium? ille, qui ſemper Deo agit gratias, & quodcumque in ſuo riuulo

Iſai. 65. fluit, ad fontem refert? an qui dicit: Recede à me, quia mundus ſum, non habeo te neceſſarium? dediſti enim mihi ſemel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero: quid rurſus te ingeris, vt nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleueris? Fraudulenter prætendis, vt

Fallacia fraudulenta. Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in ſingulis operibus auxilium Dei requiras; ne ſcilicet liberum arbitrium videaris amittere; &, cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia.

Audite, quæſo, audite ſacrilegum. Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere; ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit?

1. Cor. 10. Audi ingrate, immo ſacrilege, Apoſtolum prædicantem: Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite. Et illud Iacobi: Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras proficiſ-

Iſai. 4. ſcemur in illam ciuitatem, & faciemus illic annum, vt negotiemur, & lucremur; qui neſcitis de craſtino. Quæ enim & vita veſtra? aura eſt, ſiue vapor paululum apparens, deinde diſſipatur. pro eo quod debeatis dicere: ſi Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus aut hoc, aut illud. Nunc autem exultatis in ſuperbijs veſtris. omnis iſtiuſmodi gloriatio peſſima eſt. Iniuriam tibi fieri putas, & deſtrui arbitrij libertatem, ſi

ad Deum

ad Deum ſemper auctorem recurras, ſi ex illius pendeas voluntate, & dicas. Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos? Vnde & audes lingua proferre temeraria, vnumquemque arbitrio ſuo regi? Si ſuo arbitrio regitur, vbi eſt auxilium Dei? Si Chriſto rectore non indiget, quo modo ſcribit Ieremias: Non eſt in homine via eius, & à Domino greſſus hominis diriguntur? *Pſal.24.* *Ierem.10.*

Facilia dicis Dei eſſe mandata, & tamen nullum proferre potes, qui vniuerſa compleuerit. Reſponde mihi: facilia ſunt, an difficilia? ſi facilia, profer qui ea impleuerit, & cur Dauid in Pſalmo canat: Qui fingis laborem in præcepto. Et iterum: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Et Dominus in Euangelio: Intrate per anguſtam portam. Et: Diligite inimicos veſtros. Et: Orate pro ijs, qui perſequuntur vos. Sin autem difficilia, cur auſus es dicere, facilia eſſe Dei mandata, quæ nullus impleuit? Non intelligis tuas inter ſe repugnare ſententias? aut enim facilia ſunt, & infinita eſt multitudo hominum, qui ea impleuerint; aut difficilia, & temere dixiſti eſſe facilè quod difficile eſt. *Fallacia ſecundum quid ad ſimpliciter.* *Pſal.36.* *Pſal.93.* *Pſal.16.* *Matt.7.* *Luc.6.*

Soletis & hoc dicere; aut poſſibilia eſſe mandata, & rectè à Deo data, aut impoſſibilia; & non in ijs eſſe culpam, qui accepere mandata, ſed in eo, qui dedit impoſſibilia. Nunquid præcepit mihi Deus, vt eſſem quod Deus eſt. vt mihi inter me eſſet & Dominum creatorem; vt maior eſſem Angelorum faſtigio; vt haberem quod Angeli non habent? De illo ſcriptum eſt quaſi proprium: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Si hoc & mihi cum Chriſto cõmune eſt, quid ille habuit proprium? alioqui per ſe tua ſententia deſtruetur. *1.Pet.2.*

Aſſeris poſſe hominem eſſe ſine peccato, ſi velit; & poſt grauiſſimum ſomnum ad decipiendas rudes animas fruſtra conaris adiungere, non abſque Dei gratia. Si enim ſemel homo per ſe poteſt eſſe ſine peccato; quid neceſſaria eſt Dei gratia? ſin autem ſine illius gratia nihil poteſt facere; quid neceſſe fuit dicere, poſſe quod non poteſt? Poteſt, inquit eſſe ſine peccato; poteſt eſſe perfectus, ſi voluerit. quis enim Chriſtianorum non vult eſſe ſine peccato? aut quis perfectionem recuſat, ſi ſufficit ei velle; & ſtatim ſequitur poſſe, ſi velle præceſſerit? nulluſque Chriſtianorum eſt, qui nolit eſſe ſine peccato: Omnes ergo ſine peccato erunt, quia vtique omnes cupiunt eſſe ſine peccato. Et in hoc ingratus teneberis, vt, quia nullum, aut rarum quemquam ſine peccato proferre poteſt, omnes ſine peccato eſſe poſſe fatearis.

Poſſibilia, inquit, mandata dedit Deus. Ecquis hoc negat? ſed, quo modo hæc intelligenda ſit ſententia, vas electionis apertiſſimè docet: ait enim: Quod erat impoſſibile legi, in quo infirmabatur per carnem: *Rom 8.*

Bb Deus

Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato
Rom.3. damnauit peccatum in carne. Et iterum: Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Quod ne de lege Moyſi tantum dictum putes, & non de omnibus mandatis, quæ vno legis nomine continentur,
Rom 7. idem Apoſtolus ſcribit, dicens: Conſentio enim legi Dei, iuxta interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cur autem hoc dixerit, alio ſermone demonſtrat. Scimus enim, quod lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. quod enim operor, non cognoſco. non enim, quod volo, illud operor; ſed, quod odi, illud facio. ſin autem, quod nolo, hoc facio; conſentio legi, quoniam bona eſt, nunc autem nequaquam ego operor illud, ſed, quod in me habitat, peccatum. Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. velle enim adiacet mihi; perficere autem bonum, non inuenio. non enim, quod volo bonum, hoc facio; ſed, quod nolo malum, hoc ago. ſi autem, hoc nolo, hoc facio; nequaquam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Reclamabis, & dices: Manichæorum dogma nos ſequi, & eorum, qui de diuerſis naturis Eccleſiæ bella concinnant, aſſerentium malam eſſe naturam quæ immutari nullo modo poſſit. Et hoc non mihi, ſed Apoſtolo imputa, qui nouit aliud eſſe Deum, aliud eſſe hominem;
Gal.5. aliam carnis fragilitatem, aliam ſpiritus fortitudinem. Caro enim deſiderat contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem: & hæc inuicem ſibi aduerſantur, vt non, quæ volumus, illa faciamus. A me nunquam audies, malam eſſe naturam.

Sed, quo modo ſit carnis fragilitas differenda, ipſo, qui ſcripſit, do-
Rom 7. cente, diſcamus. Interroga eum, quæ dixerit: Non enim, quod volo, hoc operor; ſed, quod odi, malum illud facio. Quæ neceſſitas illius impediat voluntatem, quæ tanta vis, odio digna imperet facere; vt non, quod vult, ſed quod odit & non vult, facere compellatur? Reſpondebit tibi: O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquam dicit figmen-
Mal 1. tum figulo, quare adhuc, cum in vtero eſſent Eſau, & Iacob, dixerit: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Accuſa eum iniquitatis, cur Achan, filius Charmi, de Hierichuntina præda aliqua furatus ſit, & tanta mil-
Ioſ.7. lia hominum illius vitio trucidata ſint. Quamobrem filij Eli peccauerint. Et omnis pœne populus extinctus, arcaque ſit capta. Dauid
1.Reg.3.4. peccauit vt enumeraret populum, & cur in toto Iſraele tanta hominum cæſa ſint millia.

Et ad

Et ad extremum, quod ſolet nobis obijcere contubernalis veſter Porphyrius, qua ratione clemens, & miſericors Deus ab Adam vſque ad Moyſen, & à Moyſe vſque ad aduentum Chriſti paſſus ſit vniuerſas gentes perire ignorantia legis, & mandatorum Dei. Neque enim Britannia, fertilis prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omneſque vſque ad Oceanum per circuitum Barbaræ nationes, Moyſen Prophetaſque cognouerant. Quid neceſſe fuit eum in vltimo venire tempore, & non prius, quam innumerabilis periret hominum multitudo? Quam quæſtionem beatus Apoſtolus, ad Romanos ſcribens, prudentiſſimè ventilat; ignorans hæc, & Dei concedens ſcientiæ; Dignare igitur & tu iſta neſcire, quæ quæris. Concede Deo potentiam ſui: nequaquam te indiget defenſore. Ego miſerabilis, qui tuas expecto contumelias, qui illud ſemper lego: Gratia ſalui facti eſtis. Et: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Vt de mea fragilitate loquar, noui me multa velle, quæ facienda ſunt, & tamen implere non poſſe. Spiritus enim fortitudo ducit ad vitam, ſed carnis fragilitas ducit ad mortem. Et audio Dominum commonentem: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma. Fruſtra blaſphemias, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat. Cæterum non ex eo differimus à brutis animalibus, quod liberi arbitrij conditi ſumus: ſed ipſum liberum, vt diximus, arbitrium, Dei nititur auxilio, illiuſque per ſingula ope indiget: quod vos non vultis: ſed id vultis, vt qui ſemel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non ſtatim ex libero arbitrio homo facit, ſed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. Tu ipſe, qui perfectam & Deo æqualem in hominibus iuſtitiam iactitas, & peccatorem te eſſe confiteris, reſponde mihi, velis an nolis carere peccato? ſi vis, quare iuxta ſententiam tuam non imples, quod deſideras? ſin autem non vis; contemptorem te præceptorum Dei eſſe demonſtras. ſi contemptor es, vtique & peccator. ſi peccator, audi tibi ſcripturam loquentem: Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti verba mea retrorſum: Verba Dei dum non vis facere, poſt tergum tuum proijcis: & nouus Apoſtolus, orbi terrarum facienda, & non facienda decernis. Sed non eſt ita, vt loqueris: aliud in tua mente verſatur. Quando enim te dicis peccatorem, & poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi velit: illud vis intelligi, te quidem Sanctum eſſe, & omni carere peccato: ſed per humilitatem, peccati nomen aſſumere: vt alios potius laudes, & tibi detrahas.

1. Reg. 14. *Rom. 7.* *Eph. 2.* *Pſal. 31.* *Mar. 14.* *Pſal. 49.*

Illud quoque argumentum veſtrum ferre quis poſſit? Dicitis his verbis: Aliud eſt eſſe, aliud eſſe poſſe, eſſe, non eſt in noſtra poſitum poteſtate, eſſe autem poſſe, generaliter dici: quod licet alius non fuerit, tamen poſſit eſſe qui eſſe voluerit. Rogo, quæ eſt iſta argumentatio, poſſe eſſe, quod nunquam fuerit? poſſe fieri, quod nullum feciſſe teſteris? id cuilibet tribuere, qui an futurus ſit ignores, & dare neſcio, cui quod in Patriarchis, & Prophetis, & Apoſtolis fuiſſe nequeas approbare? Audi Eccleſiaſticam ſimplicitatem, ſiue ruſticitatem, aut imperitiam, vt vobis videtur. Loquere, quod credis: publicè prædica, quod ſecreto diſcipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrij libertatem, quare non liberè, quod ſentis, loqueris? aliud audiunt cubiculorum tuorum ſecreta, aliud roſtrorum populi. Etenim vulgus indoctum non poteſt arcanorum tuorum onera ſuſtentare, nec capere ſolidum cibum, quod infantiæ lacte contentum eſt, necdum ſcripſi, & comminaris mihi reſcriptorum tuorum fulmina: vt ſcilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reſerare: & non animaduertis iccirco nos ſcribere, vt vos reſpondere cogamini, & apertè aliquando dicere, quod pro tempore, perſonis & locis vel loquimini, vel tacetis. Nolo vobis liberum eſſe, negare quod ſemel ſcripſeritis. Eccleſiæ victoria eſt, vos apertè dicere quod ſentitis. aut enim idem reſponſuri eſtis, quod & nos loquimur; & nequaquam eritis aduerſarij, ſed amici: aut, ſi contraria noſtro dogmati dixeritis, in eo vincemus, quod omnes cognoſcent Eccleſiæ, quid ſentiatis. Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet prima fronte blaſphemia. Non neceſſe habet conuinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt. Minamini nobis reſponſionem, quam vitare nullus poteſt, niſi qui omnino non ſcribit. Vnde noſtis quid dicturi ſumus, vt reſponſionem paretis? Forſitan veſtra dicemus, & fruſtra ingenij veſtri acuetis ſtylum. Eunomiani, Ariani, Macedoniani, nominibus ſeparati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt: Loquuntur enim, quod ſentiunt. Sola hæc hæreſis eſt, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecreto docere non metuit, Magiſtrorum ſilentia profert rabies diſcipulorum. Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant: vt ſi placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magiſtrorum; ſi diſplicuerit, culpa ſit diſcipuli, non magiſtri. Ideo creuit veſtra hæreſis, & decepiſtis plurimos, maximèque eos, qui adhærent mulieribus, & ſciunt ſe peccare non poſſe: quia ſemper docetis, ſemper negatis, & audire meremini illud propheticum: Gloriam in partubus, & parturitionibus da illis Domine. Quid dabis illis? Vuluam ſterilem, & vbera arentia. Feruet animus, nec poſſum verba cohibere. Epiſtolaris anguſtia non patitur longè operis magnitudinem

Fallacia fictionis.

Matt. 10.

Oſea 9.

nem. Nullius in hoc opuſculo nomen propriè tangitur: aduerſus magiſtrum peruerſi dogmatis locuti ſumus, qui ſi iratus fuerit, atque reſcripſerit, ſuo quaſi mus prodetur indicio, ampliora in verò certamine vulnera ſuſcepturus. Multi anni ſunt, quod ab adoleſcentia vſque ad hanc ætatem diuerſa ſcripſi opuſcula, ſemperque habui ſtudio audientibus loqui, quod publicè in Eccleſia didiceram: nec Philoſophorum argumenta ſectari, ſed Apoſtolorum ſimplicitati acquieſcere ſciens illud ſcriptum: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et: Fatuum Dei ſapientius eſt hominibus. *1.Cor.1.*

Cum hæc ſe ita habeant: prouoco aduerſarios, vt omnes retro chartulas ex integro diſcutiant; & ſi quid in meo ingeniolo vitij repererint, proferant in medium: aut enim bona erunt, & contradicam eorum calumniæ; aut reprehenſibilia, & confitebor errorem, malens emendare, quam perſeuerare in prauitate ſententiæ. Et tu ergo, doctor egregie, aut defende quod locutus es; & ſententiarum tuarum acumina adſtrue eloquio ſubſequentis ne, quando tibi placuerit, neges quod locutus es: aut ſi certè erraſti, quaſi homo, liberè confitere; & diſcordantium inter ſe redde concordiam. In mentem tibi veniat, tunicam Saluatoris nec à militibus fuiſſe conſciſſam. *Ioan.19.*

Et in epiſtola aduerſus Vigilantium: Inter cætera verba blaſphemiæ, iſta quoque dicentem: Quid neceſſe eſt, te tanto honore non ſolum honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis? Et rurſum in eodem libro: Quid puluerem, linteamine circumdatum, adorando oſcularis? Et in conſequentibus: Prope ritum gentilium videmus ſub prætextu Religionis introductum in Eccleſias, ſole adhuc fulgẽte moles cereorum accendi, & vbicumque puluiſculum neſcio quod, in modico vaſculo prætioſo linteamina circumdatum, oſculantes adorare. Magnum honorem præbent huiuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos: quos agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore maieſtatis ſuæ illuſtrat. *Apoc.21.*

Quis enim, ô inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? nonne Paulus, & Barnabas, cum à Lycaonibus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus, Ioue, atque Mercurio: ſed quod ſub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus; qui Cornelium, ſe adorare cupientem, manu ſubleuauit, & dixit: Surge: nam & ego homo ſum. Et audes dicere, Illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis? Quid eſt illud, *Act.4.* *Act.10.*

lud, neſcio quid? ſcire deſidero. expone manifeſtius, vt tota libertate blaſphemes. Puluiſculum, inquit, neſcio quid, in modico vaſculo prætioſo linteamina circumdatum. Dolet martyrum reliquias prætioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilitio colligari, vel proijci in ſterquilinium; vt ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothæi tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus dicendus eſt, & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portauerunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum; cuius Samuel & Leuita, & prophetes fuit. Mortuum ſuſpicaris, & iccirco blaſphemas Lege Euan-
Mar. 12. gelium: Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. Si ergo viuunt, honeſto iuxta te carcere non
Apoc. 6. clauduntur. Ais enim, vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubter aram Dei, animas Apoſtolorum & Martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint, adeſſe præſentes. Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera honeſtaque cuſtodia infortunatorum inſulis, & in campis Elyſijs recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula inijcies, vt vſque ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo?
Apoc. 14. de quibus ſcriptum eſt: Sequuntur agnum, quocumque vadit. Si agnus vbique; ergo & hi, qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt. Et cum diabolus, & dæmones toto vrgentur orbe, & celeritate nimia vbique præſentes ſint; Martyres, poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? Dicis in libello tuo, quod, dum nouimus, mutuo pro nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio; præſertim cum Martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quieuerint. Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolicitı: quan-
Exod. 32. to magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus, imita-

imitatur Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto,pro perſecutoribus *Act.7.*
veniam deprecatur: &, poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus
valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in na- *Act.7.*
ui animas condonatas; & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chri-
ſto, tunc ora clauſurus eſt,& pro ijs, qui in toto orbe ad ſuum Euange-
lium crediderunt, mutire non poterit? Meliorque erit Vigilantius ca- *Eccl.9.*
nis viuens, quam ille leo mortuus? Rectè hoc de Eccleſiaſte propone-
rem,ſi Paulum in ſpiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non
appellantur mortui, ſed dormientes. Vnde & Lazarus, qui reſurre- *Ioan.11.*
cturus erat, dormiſſe perhibetur. Et Apoſtolus vetat Theſſalonicen- *1.Theſſ.4.*
ſes de dormientibus contriſtari. Tu vigilans dormis,& dormiens ſcri-
bis,& proponis mihi librum apocryphum,qui ſub nomine Eſdræ à te,
& ſimilibus tui legitur: vbi ſcriptum eſt, quod poſt mortem nullus
pro alijs audeat deprecari: quem ego librum nunquam legi. quid enim
neceſſe eſt in manus ſumere, quod Eccleſia non recipit? Niſi forte Bal-
ſamum mihi,& Barbelum,& theſaurum Manichæi, & ridiculum no-
men Leuſiboræ proferas: & quia ad radices Pyrenæi habitas, vicinuſ-
que es Hiberiæ, Baſilidis, antiquiſſimi hæretici, & imperitæ ſcientiæ,
incredibilia portenta proſequeris, & proponis quod totius orbis aucto-
ritate damnatur.

Nam in commentariolo tuo, quaſi pro te faciens, de Salomone ſu-
mis teſtimonium; quod Salomon omnino non ſcripſit: vt, qui habes
alterum Eſdram, habeas & Salomonem alterum: &, ſi tibi placuerit,
legito fictas reuelationes omnium Patriarcharum,& Prophetarum: &,
cum illas didiceris, inter mulierum textrinas cantato, immo legendas
propone in tabernis tuis: vt facilius per has nænias vulgus indoctum
prouoces ad bibendum. Cereos autem non clara luce accendimus,ſi-
cut fruſtra calumniaris; ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus,
& vigilemus ad lumen ne cœci tecum dormiamus in tenebris. Quod
ſi aliqui,propter imperitiam,& ſimplicitatem, ſæcularium hominum,
vel certè religioſarum fœminarum, de quibus verè poſſumus dicere:
Confiteor,zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: hoc pro
honore Martyrum faciunt; quid inde perdis? Cauſabantur quondam
& Apoſtoli,quod periret vnguentum, ſed Domini voce correpti ſunt.
neque enim Chriſtus indigebat vnguento,nec martyres lumine cereo-
rum: & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, deuotioque
mentis eius recipitur: & quicumque accendunt cereos, ſecundum fi-
dem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: Vnuſquiſque in ſuo *Rom.14.*
ſenſu abundet.

Idolatras appellas huiuſmodi homines? non diffiteor, omnes nos,

qui in

qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe. non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & iccirco deteſtandum eſt: hoc fit martyribus, & iccirco recipiendum eſt. nam & abſque martyrum reliquijs per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Vnde &
Matt. 25. virgines illæ Euangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas: & ad
Luc 12. Apoſtolos dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in
Ioan 5. manibus veſtris. Et de Ioanne Baptiſta: Ille erat lucerna ardens, & lucens: vt ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in
Pſal. 118. Pſalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Malè facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia, et tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria? et non ſolum vnius vrbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui, cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur baſilicas mortuorum, in quibus puluis viliſſimus, et fauilla, neſcio quæ, iacet linteamine conuoluta, vt polluta omnia polluat; et quaſi ſepulchra Phariſaica foris dealbata ſint, cum intus immundo cinere, iuxta te, immunda omnia oleant, atque ſordeant?

Et poſt hæc de barathro pectoris tui cœnoſam ſpurcitiam euomens, audes dicere: ergo cineres ſuos amant animæ martyrum, et circumuolant eos, ſemperque præſentes ſunt; ne fortè ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſint? O portentum in terras vltimas deportandum. Rides de reliquijs martyrum; et cum auctore huius hæreſeos Eunomio, Eccleſijs Chriſti calumniam ſtruis: nec tali ſocietate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores eius baſilicas Apoſtolorum, et Martyrum non ingrediuntur, vt ſcilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros maioris auctoritatis arbitrantur, quam Euangelia: et in ipſo credunt eſſe lumẽ veritatis: ſicut aliæ hæreſes paracletum in Montanũ veniſſe contendunt, & Manichæũ ipſum dicunt eſſe paracletum. Scribit aduerſum hæreſim tuam, quæ olim erupit contra Eccleſiam (ne et in hoc quaſi repertor noui ſceleris glorieris) Tertullianus, vir eruditiſſimus, inſigne volumen, quod Scorpiacum vocat, rectiſſimo nomine: quia arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffundit; quæ olim
Hæreſis Cain. appellabatur Caina hæreſis; et multo tempore dormiens, vel ſepulta, nunc à Dormitantio ſuſcitata eſt.

Minor,

Miror, quod non dicas, nequaquam perpetranda martyria; Deum enim, qui ſanguinem hircorum taurorumque non quærit, multo magis hominum non requirere. Quod cum dixeris, immo & ſi non dixeris, ita habeberis quaſi dixeris. qui enim reliquias martyrum aſſeris calcandas eſſe, prohibes ſanguinem fundi; qui nullo honore eſt.

De vigilijs pernoctationibus in baſilicis martyrum ſæpè celebrandis, in altera epiſtola, quam ferme ante bienium Sancto Ripario presbytero ſcripſeram, reſpondi breuiter. Quod ſi ideo eas exiſtimas reſpuendas, ne ſepè videamur Paſcha celebrare, & non ſolemnes poſt annum exercere vigilias: ergo & die Dominico non ſunt Chriſto offerenda ſacrificia; ne reſurrectionis Domini crebro Paſcha celebremus; & incipiamus non vnum Paſcha habere, ſed plurima. Error autem & culpa iuuenum, viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpè deprehenditur, non eſt religioſis hominibus imputandus: quia & in vigilijs Paſchæ tale quid fieri plerumque conuincitur; & tamen paucorum culpa non præiudicat Religioni; qui & abſque vigilijs poſſunt errare vel in ſuis, vel in alienis domibus. Apoſtolorum fidem Iudæ proditio non deſtruxit; & noſtras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non deſtruent: quin potius pudicitiæ vigilare cogantur, qui libidini dormiunt. Quod enim ſemel feciſſe bonum eſt, non poteſt malum eſſe, ſi frequenter fiat: aut, ſi aliqua culpa vitanda eſt, non ex eo, quod ſæpè, ſed ex eo, quod fit aliquando, culpabile eſt. Non vigilemus itaque diebus Paſchæ: ne expectata diu adulterorum deſideria compleantur; ne occaſionem peccandi vxor inueniat; ne maritali non poſſit recludi claue. Ardentius appetitur, quidquid eſt rarius. Non poſſum vniuerſa percurrere, quæ ſanctorum presbyterorum litteræ comprehendunt: de libellis illius aliqua proferam.

Argumentatur contra ſigna, atque virtutes, quæ in baſilicis martyrum fiunt; & dicit eas incredulis prodeſſe, non credentibus: quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Eſto, ſigna ſint infidelium: qui quoniam ſermoni & doctrinæ credere noluerunt, ſignis adducantur ad fidem. & Dominus incredulis ſigna faciebat: & tamen non iccirco Domini ſuggillanda ſunt ſigna, quia illi infideles erant; ſed maiori admirationi erant, quia tantæ fuere potentiæ, vt etiam mentes duriſſimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, ſigna infidelium ſunt; ſed reſponde, quo modo in viliſſimo puluere, & fauilla neſcio qua, tanta ſit ſignorum virtutumque præſentia. Sentio, ſentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpè hoc viliſſimo tortus eſt puluere, immo hodieque torquetur; & qui in te pla-

gas diſſimulat, in cæteris confitetur. Niſi fortè in morem gentilium, impiorumque, Porphyrij, & Eunomij has præſtigias dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta. Do conſilium: ingredere baſilicas martyrum, & aliquando purgaberis: inuenies ibi multos ſocios tuos; & nequaquam cereis martyrum, qui tibi diſplicent, ſed flammis inuiſibilibus combureris: & tunc fateberis, quod nunc negas: & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris liberè proclamabis, te eſſe aut Mercurium propter numerorum cupiditatem, aut Nocturnum iuxta Plauti Amphitryonem; quo dormiente, in Alcmenæ adulterio duas noctes Iupiter copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules naſceretur; aut certè Liberum patrem pro ebrietate & cantharo ex humeris dependente, & ſemper rubente facie, & ſpumantibus labijs, effrenatiſque conuicijs. Vnde & in hac prouincia cum ſubitus terræmotus, noctis medio omnes de ſomno excitaſſet; tu, prudendiſsimus, & ſapientiſſimus mortalium, nudus orabas, & referebas nobis Adam, & Euam de Paradiſo. & illi quidem apertis oculis erubuerunt, nudos ſe eſſe cernentes, & verenda texerunt arborum folijs: tu, & tunica, & fide nudus, ſubitoque timore perterritus, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, ſanctorum oculis obſcœnam partem corporis ingerebas, vt tuam indicares prudentiam.

Gen. 3.

Tales habet aduerſarios Eccleſia: hi duces contra martyrum ſanguinem dimicant: huiuſcemodi oratores contra Apoſtolos pertonant, immo tam rabidi canes contra Chriſti latrant diſcipulos. Ego confiteor timorem meum, ne forſitan de ſuperſtitione deſcendat. Quando iratus fuero, et aliquid mali in meo animo cogitauero, et me nocturnum phantaſma deluſerat, baſilicas martyrum intrare non audeo: ita totus et corpore, et animo pertremiſco. Rideas forſitan, et muliercularum deliramenta ſubſannes. Non erubeſco earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum reſurgentem, quæ mittuntur ad Apoſtolos, quæ in matre Domini Saluatoris ſanctis Apoſtolis commendantur. Tu ructato cum ſæculi hominibus: ego ieiunabo cum fœminis, immo cum religioſis viris, qui pudicitiam vultu præferunt, et, pallida iugi continentia ora portantes, Chriſti oſtendunt verecundiam. Videris mihi dolere et aliud, ne, ſi inoleuerit apud Gallos continentia, et ſobrietas, atque ieiunium, tabernæ tuæ lucra non habeant; et vigilias diabolo, ac temulenta conuiuia tota nocte exercere non poſſis.

Mar. 16. *Ioan. 19.*

Præterea ijſdem ad me relatum eſt epiſtolis, quod, contra auctoritatem Apoſtoli Pauli, immo Petri, Ioannis, et Iacobi, qui dextras dederunt Paulo, et Barnabæ communicationis, et præceperunt eis, vt pauperum memores eſſent, tu prohibeas Ieroſolymam, et tuas vel patro-

Gal. 2.

norum

Digitized by Google

norum tuorum pecunias effundiſſes, omnes periclitaremur fame. Ego hoc loquor, quod B. Apoſtolus Paulus in cunctis pœne epiſtolis ſuis loquitur, & præcipit in Eccleſijs gentium per vnam ſabbathi, hoc eſt, in die Dominico omnes conferre debere, quæ Ieroſolymam in Sanctorũ ſolatia dirigantur; & vel per diſcipulos ſuos, vel per quos ipſi probauerint; &, ſi dignum fuerit, ipſe aut dirigat, aut perferat quod collectum eſt. In Actibus quoque Apoſtolorum loquens ad Felicem præſidem, poſt annos, ait, plures eleemoſynam facturus in gentem meam, veni Ieroſolymam, & oblationes & vota, in quibus inuenerunt me purificatum in templo. Nunquid in alia parte terrarum, & in ijs Eccleſijs, quas naſcentes fide ſua erudiebat, quæ ab alijs acceperat, diuidere non poterat? Sed ſanctorum locorum pauperibus dare cupiebat, qui, ſuas pro Chriſto facultatulas relinquentes, ad Domini ſeruitutem tota mente conuerſi ſunt. Longum eſt nunc, ſi de cunctis epiſtolis eius omnia teſtimonia reuelare voluero, in quibus hoc ait: & tota mente feſtinat, vt Ieroſolymam, & ad ſancta loca credentibus pecuniæ dirigantur, non in auaritiam, ſed in refrigerium; non ad diuitias congregandas, ſed ad imbecillitatem corpuſculi ſuſtentandam, & frigus atque inediam declinandam. Hæc in Iudæa vſque hodie perſeuerante conſuetudine, non ſolum apud nos, ſed apud Hebræos; vt, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, niſi ſolum Deum, ſynagogarum & totius orbis foueantur miniſterijs, ex æqualitate dumtaxat; non vt alijs refrigerium, & alijs ſit tribulatio; ſed vt aliorum abundantia, aliorum ſuſtentet inopiam. *Rom. 15. 1. Cor 9. 1. Cor. 16. 2. Cor. 8. Act. 24. Pſal. 1. Deut. 18. 2. Cor. 8.*

Reſpondebis, hoc vnumquemque poſſe in patria ſua facere; nec pauperes defuturos, qui Eccleſiæ opibus ſuſtentandi ſint. Nec nos negamus, cunctis pauperibus etiam Iudæis, & Samaritanis, ſi tanta ſit largitas, ſtipes porrigendas: ſed Apoſtolus faciendam quidem docet ad omnes eleemoſynam, ſed maximè ad domeſticos fidei. De quibus, & Saluator in Euangelio loquebatur: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Nunquid iſti pauperes, inter quorum pannos, & illuuiem corporis, flagrans libido dominatur, poſſunt habere æterna tabernacula, qui nec præſentia poſſident, nec futura? Non enim ſimpliciter pauperes, ſed pauperes ſpiritu beati appellantur de quibus ſcriptum eſt: Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. In vulgi pauperibus ſuſtentandis nequaquam intellectu, ſed eleemoſyna opus eſt. In ſanctis pauperibus beatitudo eſt intelligentiæ, vt ei tribuat, qui erubeſcit accipere; & cum acceperit, dolet; metens carnalia, & ſeminans ſpiritualia. *Gal. 6. Luc. 16. Matt. 5. Pſal. 40.*

Quod autem aſſeris, eos melius facere, qui vtuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diuidunt, quam illos, qui, poſſeſſionibus venundatis, ſemel omnia largiuntur: non à meis, ſed à Domino reſpondebitur: Si vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iſte, quem tu laudas, ſecundus & tertius gradus eſt; quem & nos recipimus, dummodo ſciamus, prima ſecundis, & tertijs præferenda. Nec à ſuo ſtudio monachi deterrendi ſunt à te lingua viperea, & morſu ſæuiſſimo, de quibus argumentaris, & dicis: Si omnes ſe clauſerint, & fuerint in ſolitudine, quis celebrabit Eccleſias? quis ſæculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo, ſi omnes tecum fatui ſint, ſapiens quis eſſe poterit? et virginitas non erit approbanda. Si enim omnes virgines fuerint; nuptiæ non erunt; interibit humanum genus; infantes in cunis non vagient; obſtetrices abſque mercedibus mendicabunt; et grauiſſimo frigore, ſolus, atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo. Rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur. atque vtinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt, de quibus dicitur: Multi vocati, pauci autem electi. vacui eſſent carceres. Monachus autem non doctoris, ſed plangentis habet officium: qui vel ſe, vel mundum lugeat, et Domini pauidus præſtoletur aduentum: qui ſciens imbecillitatem ſuam, et vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. vnde et mulierum, maximèque adoleſcentularum vitat aſpectum, et intantum caſtigator ſui eſt, ut, etiam quæ tuta ſunt, pertimeſcat. Cur, inquies, pergis ad eremum? uidelicet ut te non audiam, non uideam: ut tuo furore non mouear; ut tua bella non patiar; ne me capiat oculus meretricis; ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.

Matt. 19. *Matt 4.* *Matt. 20.*

Reſpondebis: hoc non eſt pugnare, ſed fugere: ſta in acie: aduerſarijs armatus obſiſte; ut, poſtquam uiceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. nolo ſpe pugnare uictoriæ, ne perdam aliquando uictoriam. Si fugero, gladium deuitaui: ſi ſtetero, aut ſcuto, aut pedibus mors uitanda eſt. Tu, qui pugnas, et ſuperari potes, et uincere. ego cum fugero, non uinco in eo, quod fugio; ſed ideo fugio, ne uincar. Nulla ſecuritas eſt, uicino ſerpente dormire. poteſt fieri, ut me non mordeat: tamen poteſt fieri, ut aliquando me mordeat. Matres uocamus, ſorores, et filias, et non erubeſcimus uitijs noſtris nomina pietatis obtendere.

Et in lib. 2. aduerſus Iouinianum ſic D. Hieron. Secunda propoſitio eſt,

tio eſt, eos qui fuerunt baptizati, à diabolo non poſſe tentari. Et, ne hoc ſtulte dicere videretur, adiecit: Quicumque autem tentati fuerint, oſtendi eos aqua, & non ſpiritu baptizatos. Quod in Simone Mago legimus. Vnde & Ioannes dicit: Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt, & in hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli. & in fine epiſtolæ: Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum. Reuera fortis obiectio, & quæ indiſſolubilis permaneret, niſi ipſius Ioannis teſtimonio ſolueretur. ſtatim enim intulit: Filioli cuſtodite vos à ſimulacris. Si omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, & à diabolo tentari non poteſt, quo modo præcipit vt caueant ne tententur? Et in eadem rurſus epiſtola: Si dixerimus, quia peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur, quia non peccauimus: mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis. Exiſtimo quod Ioannes baptizatus ad baptizatos ſcripſerit, & quod omne peccatum à diabolo ſit. Ille peccatorem ſe confitetur, & ſperat remiſſionem poſt baptiſma peccatorum: & Iouinianus meus dicit: Ne tangas me, quoniam mundus ſum. Quid ergo? contraria ſibi Apoſtolus loquitur? Minimè. In eodem quippe loco cur hoc dixerit, ſtatim edifferit: Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Et in hoc ſcimus, quod cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruemus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. qui autem ſeruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta eſt. in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Propterea, inquit, ſcribo vobis filioli mei: Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, vt non peccetis: & tamdiu ſciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaueritis.

Act. 10. *1. Ioan. 3.* *1. Ioan. 5.* *1. Ioan. 1.* *1. Ioan. 2.*

Immo qui in generatione Domini perſeuerant, peccare non poſſunt. Quæ enim communicatio luci & tenebris? Chriſto & Belial? Quo modo dies & nox miſceri non queunt ſic nec iuſtitia & iniquitas peccatum & bona opera, Chriſtus & Antichriſtus. Si ſuſceperimus Chriſtum in hoſpitio noſtri pectoris, illico fugamus diabolum. Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingreſſus fuerit diabolus: protinus Chriſtus recedit. Vnde & Dauid poſt peccatum, Redde mihi, ait, lætitiam ſalutaris tui, ſcilicet quam peccando amiſerat. Qui dicit ſe noſſe

2. Cor. 6. *Pſal. 50.* *1. Ioan. 2.*

Deum,

Deum, & mandata eius non cuſtodit; mendax eſt, & in hoc veritas
Ioan. 10. nō eſt. Chriſtus veritas appellatur: Ego ſum, inquit, via, veritas, & vita.
Iacob. 4. Fruſtra nobis in eo plaudimus, cuius mandata non facimus. Scienti
Iacob. 2. bonum, & non facienti, illi peccatum eſt. Quo modo corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ſic & fides ſine operibus mortua eſt. Nec grande putemus vnum Deum noſſe, cū & dæmones credant, & contremiſcant. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Eligat aduerſarius è duobus quod vult. optionem enim damus. Manet in Chriſto, an non manet? Si manet, ita ergo ambulet vt Chriſtus. Si autem temerarium eſt ſimilitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Chriſto, quia non ingreditur vt Chriſtus.
1. Pet. 2. Ille peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum
Iſai. 53. malediceretur, non remaledixit, & tamquam agnus coram tondente
Ioan. 14. ſic non aperuit os ſuum, ad quem venit princeps mundi iſtius, & in-
2. Cor. 5. uenit in eo nihil: Qui cum peccatum non feciſſet, pro nobis peccatum eum fecit Deus: nos autem iuxta epiſtolam Iacobi, multa peccamus omnes, & nemo mundus à peccatis, nec ſi vnius quidem diei fuerit vita eius: Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis confidet mundum ſe eſſe à peccatis? Tenemurque rei in ſimilitudinem
Pſal. 50. præuaricationis Adam. Vnde & Dauid: Ecce, ait, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea. Et beatus Iob: Si
Iob. 9. fuero iuſtus, os meum impia loquetur: & ſi ſine crimine, prauus inueniar. Et ſi purificatus in niue, et lotus mundi manibus, ſatis me ſorde tinxiſti, & execratum eſt me veſtimentum meum.

Verum ne penitus deſperemus, arbitrantes nos poſt peccata baptiſ-
1. Ioan. 2. mi non poſſe ſaluari, ſtatim hoc ipſum temperat: Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Hoc ad credentes poſt baptiſma loquitur, et aduocatum pro delictis eorum Dominum pollicetur. Nec dicit: Si quid peccaueritis, aduocatum habetis apud Patrem Chriſtum; et ipſe eſt propitiatio pro peccatis veſtris, ne eos diceres non plena fide baptiſma conſecutos: ſed aduocatum, inquit, habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum; et ipſe propitiatio pro peccatis noſtris, et non ſolum pro Ioannis, aliorumque peccatis, ſed etiam pro totius mundi. In toto autem mundo et Apoſtoli ſunt, omneſque credentes. Ex quibus liquido comprobatur, poſt baptiſma poſſe peccari. Fruſtra enim habemus aduocatum Ieſum Chriſtum, ſi peccari non poteſt.

Et in epiſtola 61. ad Pammachium. Nolo verborum ambiguitatis: nolo mihi dici, quod et aliter poſſit intelligi. Reuelata facie glo-

riam

riam Domini contemplemur. Claudicabat quondam & Iſraeliticus populus in vtroque pede: ſed Elias, qui interpretatur fortis Domini; vſquequo, ait, claudicatis in vtroque veſtigio? Si Dominus eſt Deus, ambulate poſt eum: ſi autem Baal, ſequimini eum. Et ipſe Dominus de Iudæis: Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, vt cupio, & credo; cur non verbis meis, meum ſenſum loquitur? quam ille ſimplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Perſuadere mihi vult, quod purè credat. purè ergo & loquatur. Et ſi quidem vnum verbum vel vnus ſenſus eſſet ambiguus, ſi duo, ſi tres; ignorantiæ, veniam tribuerem; nec ea, quæ aut obſcura vel dubia ſunt, de certis & perſpicuis æſtimarem: nunc vero quæ iſta ſimplicitas eſt, quaſi ſuper oua & ariſtas inter theatrales præſtigias pendenti gradu incedere, vbique dubium, vbique ſuſpectum? putes eum non expoſitionem fidei, ſed figuratam controuerſiam ſcribere. Quod iſte nunc appetit, olim in ſcholis didicimus. Noſtra aduerſum nos dimicat armatura. Etiam ſi benè credit, & circumſpecte, & timidè loquitur, ſuſpicionem mihi facit nimia diligentia. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confitenter. Stultum eſt fruſtra infamiam ſuſtinere. Obijcitur ei crimen, cuius non habet conſcientiam. Ergo crimen, quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac liberè faciat inuidiam aduerſario ſuo. Eadem audacia, qua ille inſimulat, hic defendat. cumque omnia dixerit, quæ voluerit, quæ propoſuerit, quæ ſuſpicionibus carent; ſi perſeuerat calumnia, conſerta manu in ius trahat. Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem; ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, diſſimulatio, conſcientia iudicetur, ſi taceat: licet ſuperfluum ſit, eius præſentiam quærere, & extorquere ſilentium, cuius apud te litteras teneas. Scimus omnes, quid tibi ſcripſerit, quid in te arguerit, in quo, vt tu vis, calumniatus ſis. Reſponde ad ſingula: per epiſtolæ huius gradere veſtigia: ne punctum quidem & apicem calumniæ tranſeas. Si enim egeris negligenter, &, vt ego tibi credo iuranti, caſu aliqua tranſieris; ſtatim ille clamabit, & dicet: Hic hic te victum teneo: hic totius negotij cardo verſatur. Non æquè inimici audiunt, & amici. Qui inimicus eſt, etiam in ſcirpo nodum quærit: amicus praua quoque recta iudicat. Scribunt ſæculi litteræ, amantium cæca eſſe iudicia: quas tu forſitan, ſacris voluminibus occupatus, omnino neglexeris. Nunquam de amicorum iudicio glorieris. Illud verum eſt teſtimonium, quod ab inimica voce profertur. alioqui, ſi amicus pro te dixerit, non teſtis, aut iudex, ſed fautor putabitur. Hæc & huiuſmodi loquentur inimici tui, qui tibi fortè non credant, & mouere

1.Cor 3.

3.Reg 18.

Pſal. 17.

Prou. 11.

cupiant

cupiant ſtomachum. Cæterum ego,quæ nunquam volens læſiſti,cuius ſemper in epiſtolis tuis nomen cogeris ventilare, do conſilium, vt apertè aut fidem Eccleſiæ prædices; aut loquaris,vt credis. Diſpenſatio etenim ac liberatio iſta prudens verborum, indoctos decipere poteſt:cautus auditor & lector cito deprehendet inſidias,& cuniculos,quibus veritas ſubuertitur, apertè in luce demonſtrabit.

Et ſuper Abdiam cap. 1.ſuper illa verba contemptibilis tu es valde, ſuperbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petræ. Sic D. Hieronym. Licet tibi ò hæretice magnus eſſe videaris, & contemnas Eccleſiæ paucitatem: tamen paruus es in gentibus, & contemptibilis, & non ſolum contemptibilis, ſed valde contemptibilis. Superbia cordis tui extulit te. Quis enim hæreticorum non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſimplicitatem paruipendens, & fidem, imperitiam reputans? Habitantem in ſciſſuris petræ, & exaltantem ſolium ſuum. non dixit habitantem ſuper petram (in qua prudens ædificat domum ſuam) extruit, ſed in ſciſſuris petræ: vt hæreſeon à petra Chriſto, & ab Eccleſia ſignificet ſciſſiones.

Et in eodem cap.ſuper illa verba,ſi fures introiſſent ad te,ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſſes? ſic D.Hieron. Fures & latrones, qui ingrediuntur nocte (quia filij ſunt noctis & tenebrarum)hæreticos puto,contraria veritati dogmata prædicantes; qui furantur ſufficientia ſibi, et quotidie de Eccleſiæ gregibus rapere feſtinant: Iſti ingredientes vineam Domini noſtri,quam de Aegypto huius ſæculi tranſtulit,et de cuius genimine vinum ſe eſſe bibiturum in regno patris pollicetur: ita capiunt vniuerſa populari, vt vix racemum relinquant in ea: Sed è contrario Dominus agit: omnia enim ſecreta eorum, et occulta myſteria,et patriarcharum,Eſau (hos quippe intelligo qui primi hæreſes adinuenerunt) per ſanctos ſuos, et Eccleſiaſticos viros, atque doctores profert in medium, et prima illius victoria eſt patere quæ tegebantur occulta. Vnde et cum admiratione dicitur: Quomodo perſcrutatus eſt Eſau, deprehenſa ſunt occulta eius? Vide Marcionem, et Valentinum, et omnes hæreticos, quomodo in doctrinis dæmoniorum,cauteriatam habentes conſcientiam, applaudant ſibi, et ſimplices animas quaſi quibuſdam diuinis myſterijs initiantes, compoſito ſermone decipiant: Sed cum triginta æonas,et quadradas, et octoadas,et duodecadas,et duplicem Deum, et portentoſum Abraxas in medium ſermo protulerit: tunc prudentia Eſau ſtultitia demonſtrabitur, et inueſtigabuntur ſecreta eius.

Prima victoria.

Et infra ſuper illa verba neque deſpicies, et tu in malis eius in die vaſtitatis illius, ſic D.Hieron. Quis hæreticorum non deſpicit Eccleſiaſticos?

ſticos? Quis non exultat in malis eorum: ſi quando propter peccata populi perſecutioni traditi fuerint? & multi vel infirma fide, vel ſupra petroſa ſeminati, in negationem corruerint, videas illos exultare, gaudere: noſtram ruinam ſuam putare victoriam: in tantum vt iungantur gentibus, & perſecutio ſæuior, vel ex Iudæis, vel ex his fiat, qui fratres noſtros eſſe ſe ſimulant, & eodem cenſentur nomine. Cumque aliquis, vel fuga, vel pœnitentia elapſus fuerit, ſtant in diuerticulis, & proponunt ſophiſmata, & teſtimonia, quaſi de ſcripturis proferunt: vt laſſis atque confectis, conſuta offerant ceruicalia, & & ponant ea ſub omni cubito manus. Atque ita fit, vt qui forſitan perſecutionem, aut virtute ſuperarint, aut timore effugerint: decepti prauis dogmatibus, rurſum in carcere teneantur errorum: & multo fiat peior tribulatio quam fuit ex gentibus: Facilius enim ab ethnicis captum liberes, quam hæreticorum præſtigijs irretitum.

Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias, ex Sancto Thoma Aquinate.

IN libro 2. contra Gentiles cap. 81. vbi ſanctus Thomas tractat de immortalitate animæ ſoluit primum argumentum per fallaciam non cauſſæ pro cauſſa, & formatur ſic argumentum. Animæ multiplicantur ſecundum corpora, ſed corpora deſtruuntur, ergo animæ pereunt. Soluit hoc per fallaciam, non cauſſæ pro cauſſa. Quia etſi animæ multiplicentur ſecundum corpora, non tamen multiplicatio corporum eſt cauſſa animarum, nec multiplicationis animarum. Quia animæ habent eſſe independens à materia, & ſic non ſequitur quod corruptis corporibus pereant animæ. Et prædicta fallacia eſt in maiori propoſitione, animæ multiplicantur ſecundum corpora.

In eodem libro contra Gentes, & in eodem capite ſoluit ſanctus Thomas vltimum argumentum contra immortalitatem animæ, per fallaciam æquiuocationis; argumentum eſt tale. Impoſſibile eſt eſſe aliquam ſubſtantiam ſine operatione, ſed omnis operatio animæ finitur cum corpore, vt patet inductione; ergo non manet ſubſtantia animæ poſt ſeparationem à corpore. Reſpondet ſanctus Thomas, quod in minori eſt fallacia æquiuocationis. Quia ſolum finiuntur cum corpore operationes, quæ dependent à corpore, vt ſunt operationes ſenſibiles, vel paſſiones. Sed operationes intellectus, & voluntatis ſimplices independentes à corpore, manent in anima poſt ſeparationem à corpore, & ſic per æquiuocationem minoris argumenti

apparet euidenter illius falſitas, & ſoluitur perfectè.

Idem ſanctus Thomas 3. contra Gentes cap. 9. ſoluit ſecundum argumentum quod eſt tale. Bonum & malum ſunt contraria: ſed contrariorum eſt natura quædam: ergo bonum & malum ſunt natura aliqua. Reſpondet ſanctus Thomas quod in hoc argumento eſt fallacia ſecundum quid ad ſimpliciter in maiori propoſitione. Quia bonum & malum ſimpliciter accepta non ſunt ſimpliciter contraria, ſed ſecundum quid, in genere moris. Quia malum eſt priuatio boni in quantum eſt malum.

Idem ſanctus Thomas 4. contra Gentes cap. 94. Si idem eſt ſuppoſitum humanæ, & diuinæ naturæ in Chriſto, oportet quod de intellectu hominis qui eſt Chriſtus ſit hypoſtaſis diuina, ſed non eſt de intellectu aliorum hominum; ergo homo æquiuoce dicitur de Chriſto, & alijs hominibus, ergo non eſt eiuſdem ſpeciei nobiſcum. Per fallaciam æquiuocatioois, quæ inducitur ex diuerſa forma ſignificata per nomen, non autem ex diuerſitate ſuppoſitionis. Non enim hoc nomen homo, æquiuoce ſumitur ex eo quod quandoque ſupponit pro Platone, quandoque pro ſorte. Hoc igitur nomen homo dictum de Chriſto & de alijs hominibus, ſemper eandem formam ſignificat, ſcilicet naturam humanam, vnde vniuoce prædicatur de eis, ſed ſuppoſitio tantum variatur in hoc quod in Chriſto ſupponit hypoſtaſim increatam, in alijs hominibus creatam.

Sanctus Auguſtinus in libro de Doctrina Chriſtiana dicit. Quis audeat dicere aduerſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem? Illi, ſcilicet hæretici, qui res falſas perſuadere conantur, norunt auditores beneuolos, attentos, & dociles facere, & nos veritatem defendere, & perſuadere ex officio aſtricti, id non præſtabimus? Illi falſa aperiè, breuiter, licet fallaciter docent; Nos ſic vera narrabimus vt audire tædeat, intelligere non pateat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnant, aſſerunt falſitatem. Nos verò nec vera defendere, nec falſa refutare valemus? Hæc ſanctus Auguſtinus, Quibus verbis Artem noſtram inſtruit, veritatem illius defendit, opus magno fauore decorat; & cum fallacia eſſe dicit omnia argumenta hæreticorum finem noſtræ Artis confirmat.

Et ne aliquibus videatur Ars noſtra res noua, & ideo non admittenda vel recipienda, iam manet ex ſupradictis in hoc Tractatu probatum, non nouam ſed à Sanctis Patribus vſitatam fuiſſe. Sed ſi quid noui in hac Arte erit (quod negari non poteſt) audiant S. Thomam in libro de eruditione Principum lib. 5. c. 9. in principio, cũ agit de magiſtro eligendo ad erudiendos Principes. Primum quod requirit, eſt, vt ha-

vt ha-

vt habeat mentem ingenioſam, quę ſic explicatur à ſancto Thoma; Vt ſciat inter ea, quæ doceri poſſunt, eligere meliora. Secundum ne totum ex alienis ſcriptis accipiat, ſed aliqua de nouo inueniat. Illum ergo (dicit S. Thom.) eruditorem magiſtrum elige, quem magis mireris in ſuis, quam in alienis, nihilque magnificum docebit, qui nihil à ſe didicit.

Et tandem de hac Arte dici poteſt, quod ſanctus Thomas applicat ad finem noſtrę Artis, dicens: Nullo modo melius quam contradicentibus reſiſtendo aperitur veritas, & falſitas confutatur, ſecundum illud Prouerb. 17. Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici ſui, vere ferreum argumentum eſt hęreticorum in apparentia, licet plumbeum in efficacia, vt S. Auguſt. ſupra tradidit, & ferreo malleo noſtrę Artis acuitur, dum diſſoluitur cum euidentia falſitatis; & homo exacuit faciem amici ſui, id eſt fidelis & Catholici in cognitione veritatis, & manifeſtatione falſitatis argumentorum hęreticorum. *S. Thom. opuſc. 17. cap. 26.*

PRACTICA ARTIS AD RESPONDENDVM OMNIBVS HAERETICIS DOGMATIBVS,

Et ad ſoluenda omnium hæreticorum argumenta cum euidentia falſitatis.

CAPVT PRIMVM,

De intentione Authoris, & de neceſsitate huius Practicæ.

PRIMVM quod in hoc opere obſeruandum eſſe & practicandũ decreuimus, eſt, iuxta SS. Patrum doctrinam, & ad eorum imitationem id præſtare, & quam neceſſarium hoc ſit & debitum apud Catholicos Auctores, & Doctores, demonſtrat S. Ambroſ. in c. 13. Apocal. his verbis. Primis temporibus Euangelij fuerunt multi hæretici, qui fidẽ Eccleſiæ ſuis erroribus labefactare conati sũt: ſed omnipotẽs Deus, defenſores Eccleſiæ orthodoxos Patres ex filijs ipſius Eccleſiæ elegit, quos flumine ſapientiæ ſuæ replens, per eorum doctrinam omnes hæreſeos ab Eccleſia ſua extirpare. qui etiam maximam copiam librorum ediderunt, quibus omnes hæreſes quæ fuerunt, & quæ eſſe poterant, deſtructæ ſunt: & blaſphemia quaſi occiſa eſt; modo, vt Ioannes Apoc. 13. aſſerit. Vidi vnum de capitibus eius quaſi occiſum: quia quamuis ſint multi qui multas blaſphemias mente concipiunt, malum quod mente conceperint non audent proferre, ne per iſtorum doctrinam turpiter conuincantur. Hæc Diuus Ambroſius.

Ex quibus verbis ſequitur primo, quod à principio prouidit Deus de defenſoribus Eccleſiæ ſuæ, ſacris Patribus, & Doctoribus Eccleſiæ. Secundo quod repleuit eos flumine ſapientiæ ſuæ. Tertio quod per eorum doctrinam omnes hæreſes ab Eccleſia extirpauit, non ſolum quæ

ante

ante fuerunt, ſed quæ eſſe poterant. Quarto quod ideo maximam copiam librorum ediderunt ad deſtruendas omnes hæreſes. Quinto quod timent multi ne turpiter per horum doctrinam conuincantur. Ex quibus omnibus colligitur, nullam aliam viam meliorem eligi poſſe ad conuincendos hæreticos, & eorum hæreſes & argumenta de falſitate, quam hanc à Deo electam in doctrina Sanctorum Patrum, iuxta quam practica noſtra procedit.

D. Auguſt. ſup. Pſalm. 39. ſic explicat neceſſitatem huius practicæ, duobus modis ait, perſequitur diabolus Eccleſiam tàm in Chriſto capite, quam in membris ſuis. Primo cum manifeſta perſecutione, & ſic dicitur leo rugiens, ſic perſecutus eſt Chriſtum in ſua paſſione, & omnes eius Martyres.

Secundo vt draco vt ſerpens, docendo, ſuadendo, & fallendo per fallacias ſic fecit cum Eua, diſputando etiam, interpretando Dei verba cum fallacia, & dicendo, nequaquam moriemini, eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum, & hæc perſecutio, ait D. Auguſt. Eſt maior & magis timenda, vt docet D. Paulus. Timeo autem, ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam aſtutia ſua, ſic & veſtræ mentes corrũpantur à caſtitate quæ eſt in Chriſto Ieſu tunc cogebat, ait D. Auguſt. Nunc docet, tunc ingerebat violentias, nunc inſidias, videbatur tunc fræmens, nunc lubricus & oberrans, tunc erat manifeſtus, nunc difficile videtur, tunc opus erat patientia, nunc vigilantia. Addit D. Auguſt. Quod perſecutio ſiue à leone, ſiue à dracone nunquam ceſſat in Eccleſia, ex quibus colligitur quod neceſſaria eſt continua vigilantia, & nulla maior quam ea quæ in hac practica manifeſtatur. 1. Cor. 11.

Diuus Auguſtinus ſuper Pſal. 106. Prope finem de neceſſitate & vtilitate ſcribendi, & reſpondendi, & conuincendi contra hæreticos, & contra eorum argumenta ſic dicit: Cum reſpondetur hæreticis ex neceſſitate fit & ædificantur Catholici ex vtilitate, & hanc ſententiã expreſſit D. Paul. 1. Cor. 11. cum dixit: Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis, hoc eſt excludantur, & infra in eodem loco addit D. Aug. Videbunt recti & iocundabuntur, & omnis iniquitas oppilauit os ſuum iniquitas illa garriens contra vnitatem, & cogens manifeſtari veritatem, conuicta oppilabit os ſuum. 1. Cor. 11.

Hoc eſt ergo quod in hac Practica noſtra curabimus reſpondere dogmatibus hæreticis, ex neceſſitate, & propter vtilitatem Catholicorum, vt manifeſti fiant errores, & excludantur. Per veram & propriam confutationem, & conuincti de falſitate in reſponſionibus argumentorum oppiletur os ſuum.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De modo procedendi.

SEcundum quod in hac Practica deſideramus ordinare, & facere, eſt, breuitate, & proprietate verborum ſic confutare errores, & veritatem manifeſtare, vt vno obtutu à quolibet inſpici poſſit, ſine diffuſione ambitioſa vel vitioſa aut curioſa, quod magnus ille Doctor Theologus Gregorius Nazianz. his verbis docuit eſſe practicandum oratione 35.

Ad compeſcendam hæreticorum diſputandi promptitudinem, præcipitemque celeritatem cum in omnibus rebus, tum maximè in his diſputationibus, quæ de Deo & de fide habentur, periculoſam adferre quiſpiam poſſit; Quoniam autem obiurgare haud magnum eſt, perfacile quippe & cuiuſlibet hominis: ſententiam autem ſuam ſubrogare pij viri eſt ac mente præditi; age Spiritus ſancti ab illis quidem contempti ac pro nihilo habiti à nobis vero adorati, numine atque auxilio freti ſubnixique fidem de Diuinitate, noſtram perinde ac generoſum quendam & maturum fœtum in lucem producamus, quia nunc maiori libertate ac fiducia veritatem profiteamur, ne alioqui ob timiditatem (vt Scripturæ verbo vtar) ac pœna multemur vt Deo minimè placeamus.

Omnis verò ſermo duplex eſt: alter quo dogmata noſtra confirmamus, alter quo aduerſaria ſubuertimus; nos quoque poſteaquam doctrinam noſtram prius expoſuerimus, ita demum aduerſariorum placita confutare, ac profligare conabimur, & quidem vtrumque quam fieri poterit breuiſſimæ, vt quæ à nobis dicentur, quaſi vno quodam obtutu perſpici facilè poſſint, ac non ob ſermonis prolixitatem ſenſa dilabantur, haud ſecus atque aqua quæ non canali coercetur, ſed per campos diffunditur; vel ſicut in inſtrumento bellico, in breuiſſimo atque coarctato loco immittitur puluis tormentarius, & glandes, & additur ignis, vt maiori impetu dirigatur contra inimicos, & vnico ictu plures proſternat hoſtes: ſic cum in breui diſcurſu, & arte, & in eius practica, omnia neceſſaria ad conuincendum hæreticos ordinantur, facilius & efficacius contra eorum falſitates, & errores pugnatur; & iſte erit modus procedendi in Practica huius Artis.

CAPVT TERTIVM.

De cauſa huius Practicæ.

CAuſſam autem & motiuum huius Practicæ vt demonſtremus, conſideranda ſunt quæ aliqui neoterici Scriptores diffuſiſſimè aduerſus hæreticos & eorum hæreſes ac argumenta ſcripſere, in quibus (omnium ferè conſenſu) non ſolum argumenta ſoluta non ſunt, ſed ex eorum ſcriptis vim (vt dicunt) maximam acceperunt, vt difficilia ad ſoluendum reddita ſint; in quo pulicem viliſſimum tamquam leonem depingunt & fingunt, vt videantur leonem occidiſſe & viciſſe in quolibet argumento hæreticorum, cum nec leonem, nec pulicem vicerint, & in ſuo vigore & difficultate permaneant in apparentia, quamuis ex ſe viliſſimi pulices ſint.

Nos autem iuxta ſacrorum Doctorum doctrinã, & pugiones argumentorum hæreticorum non aureos, vel argenteos, vel ferreos, ſed plumbeos cum Sancto Auguſtino oſtendemus, & muſcas vel pulices cum Sancto Gregorio Nazianzeno eſſe viliſſimos demonſtrabimus: quia cum ſint omnia ſophiſtica, & procedant ex fallacijs, vel ab eis inuentis, vel ab Ariſtot. deſcriptis, verè ſunt quod Sancti Patres dixerunt, viliſſima; neque id, vile videri debet, maximè Catholico Doctori, & minoris ingenij vel indigni laboris & ſtudij: quia hæc eſt via Sanctorum Patrum, à qua declinare non licet neque ad dexteram, vt quis melius prætendat id efficere, neque ad ſiniſtram, malè ſoluendo, immò fouendo vim argumentorum hæreticorum (ſi quam habent) ſed attendere ad ſolutionem eorum. *Prou.4.*

Quod ſi ideò effugiunt hanc viam, quia facilis eſt, vel videtur illis facilis, non conſiderant electionem Dei, quam ſanctus Paulus proponit 1. Cor. 1. vbi dicit, contemptibilia elegiſſe, & ignobilia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Quæ verba ad propoſitum explicat D. Ambr. ſic. Præſcius Deus errorum futurorum in mundo quem erat facturus, decreuit ad confuſionem illorum, qui ſibi ſtultitiam ſapientiam facturi erant, per ſtultitiam, per ignobilia & contemptibilia eos confundere; & comparat argumenta eorum, & hæreticorum rebus comptis cum ſola apparentia exteriori; & quid ignobilius & contemptibilius ſophiſmatibus in omnibus ſcientijs? Illi (ait S. Ambroſ.) ſolis verbis in contradictionibus vtuntur, nos autem in virtute, & oſtenſione ſpiritus et veritatis, vt dicit Paulus 1. Cor. 2. non in perſuaſione humanæ ſapientiæ, quæ inflatet vana eſt, ſed in oſtenſione ſpirituss, et *1.Cor.1.* *D.Ambr.* *1.Cor.2.*

virtu-

virtute Dei. Addit D.Ambroſ. Non virtuti verborum ſtudet doctrina fidei,ſed fidem auctori tribuit,qui doctrinam ſuam non ornatu traditionis humanæ acceptabilem voluit eſſe verborum ſtrepitu, ſed ipſis rebus, quia res ante ſunt quam verba,quæ infirma ſunt, ſed in virtute et factis ſapientiam ſuam demonſtrauit,ſpirituali ratione fundatam, quam rationem non capit hoc ſæculum infirmitate cogitationis terrenę excęcatum.

CAPVT QVARTVM.

De exemplis huius Artis.

NEque exempla deſunt ad hanc veritatem confirmandam, in ſacra Scriptura,extat primo exemplum in filijs Iſrael, cũ ab Ægiptijs perſequerentur,maximam afflictionem in fabrica ab ipſis inuenta exercuiſſe,ita vt clamorem eorum exaudiſſe Deum,teſtetur Spiritus ſanctus,et inter alia paleas eis tribuiſſe ad ædificiũ conſtat;nequaquam vltra dabis paleas populo ad conficiendum lateres. Et rurſus præcepiſſe eis vt ipſi quærerent,his verbis; Sed ipſi vadant et colligant ſtipulas. Et Sancti Patres ab eis acceptis paleis, ideſt fallacijs ſuis, contra eos vſi ſunt in ſolutione eorum argumentorum, in quibus autem non ſufficiunt,quæſierunt Sancti Patres paleas ſophiſmatum ab Ariſt.Et ab alijs ſophiſtis deſcriptas, et his perficitur omne opus, et non ſolum efficaciter,ſed cum euidentia falſitatis ſoluuntur eorum argumenta,vt in Tractatu octauo Artis noſtræ demonſtrauimus: et in Practica Artis euidentius in vnaquaque ſolutione apparebit.

Exod.3. *Exod.6*

Aliud exemplum habemus in magno Rege Dauid et Propheta Domini,qui cum miſſus eſſet à patre ſuo Iſai.vt fratribus victum adferret, ſurrexit de mane, et commendauit gregem cuſtodi, et onuſtus abijt, ſicut præceperat ei Iſai. et audiuit ipſe Dauid verba Philiſtæi de Geth, verba blaſphemiæ et minarum in Iſrael; et viſo eo omnes fugerunt; et ait Dauid ad viros qui ſtabant cum eo ibi coram Philiſtæo: Quid dabitur viro qui percuſſerit Philiſtæum hunc, et tulerit opprobrium de Iſrael? Et cum renunciaſſent ei præmia aſſignata à Rege Saul, Eliab frater maior Dauid iratus eſt contra Dauid,et dixit: Quare ueniſti,et dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto? ego noui ſuperbiam tuam, et nequitiam cordis tui,quia ut uideres prælium deſcendiſti. Reſpondit Dauid: Quid feci? nunquid non eſt uerbum? Et adductus ad præſentiam Saul,non fuit reiectus,ſed dubitauit Saul: et cauſſas dubitationis ei explicauit,quia puer es, hic autem uir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.

1.Reg.17.

tia ſua. Ille autem pro ſe reſpondit, quod leonem, & vrſum interfecerit, & erit hic Philiſtæus incircumciſus ſicut vnus ex eis, & induit Saul Dauid armis eius, galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eum lorica, & accinctus Dauid gladio eius, cœpit tentare ſi ſic armatus poſſet incedere, & dixit: non poſſum incedere quia non vſum habeo, & cum baculo, & funda, & lapidibus limpidiſſimis de torrente, proceſſit & vicit, vt nouerit vniuerſa Eccleſia quia non in gladio, & in haſta ſaluat Dominus, & funda iecit, & cecidit Philiſtæus in faciem ſuam ſuper terram, prævaluitque Dauid aduerſus Philiſtæum in funda, & lapide, & interfecit eum. D. Gregorius explicat de conuincendis hæreticis hanc figuram Dauid cum Philiſtæo, his verbis. Nos quoque qui membra ſumus veri Dauid exemplo, hæreticos ſuis ſententijs conuincamus quibus pugnant contra nos. Adhuc ergo Goliath Philiſtæus clamat exprobrando agminibus Eccleſiæ Catholicæ, quod argumenta hæreticorũ ſoluta non ſunt, imò gemũt in Eccleſia Dei nõ adeſſe Dialecticos peritos, à quibus abſolui poſſint vt D. Aug. lib. 6. cõtra Iulianũ teſtatur.

Sic euenit nobis in hac Arte & Practica eius: ordine & mandato Pauli V. Pont. Max. miſſus fui ad lectionem contra hæreticos, & eorum argumenta in hac alma Vrbe, vt fratribus Prælatis huius Curiæ cibum hunc ſpiritualem tribuerem: non deerunt fortè qui cum Eliab irati deſpiciant Auctorem, & Artem; nec qui eam vt impoſſibilem iudicent. Arma vero noſtra non eloquentiæ humanæ, & verborum ſunt, ſed ipſa ſophiſmata ex quibus funda conficitur in Arte noſtra, & in Practica eius, cum lapide veritatis, & ſic facilè ad argumenta hæreticorum reſpondebimus, vt de falſitate conuincantur: Sicque verè & leo, & vrſus, & pulices occiduntur & vincuntur.

CAPVT QVINTVM.

De effectu huius Artis.

DE effectu huius Artis quomodo in hac Practica procedendum ſit videndum eſt, quia verbis tantum pugnare, vt illi aſſerant, nos negamus, vel è contra, non agnoſcitur ſic veritas, quia propter noſtrum vel illorum affirmare vel negare, non eſt propoſitio vera vel falſa, vt docuit Ariſt. ſed ab eo quod res eſt, vel non eſt. Et quia ex verbis ſacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, & ex ratione & principijs naturalibus argumenta ipſi hæretici conficiunt modo ſyllogiſtico, videndum eſt an rectè colligant, vel ordinent propoſitiones, in modo & figura, & rectè diſponant terminos iuxta Logicæ præcepta, & documenta:

quia ſi benè ordinata ſunt, ſine dubio veritati innituntur, ſi vero malè de falſitate conuincuntur: & ſic reducimus examen veritatis & falſitatis ad eorummet principia, quod quam neceſſarium ſit, iudicent qui poſſunt eſſe iudices huius veritatis: & ſi alio modo poſſit res hæc tractari vtilius aut euidentius.

CAPVT SEXTVM.

De ordine procedendi.

AGendum eſt de primo Tractatu, in quo reducuntur omnes hæreſes ad perſonas. Et primò de hæreſibus ſuo ordine diſpoſitis, deinde de argumentis & ſolutionibus eodem ordine; & ſic primo tractabitur de perſonis Diuinis, deinde de humanis, in his quæ per hæreſes, & eorum argumenta oppugnantur vel calumniantur, confutando dogmata hæreticorum eo modo quo in ſacris Concilijs fit, primo ex auctoritate ſacræ Scripturæ in ſenſu litterali à Sanctis Patribus explicatæ. Secundo ex aliorum ſacrorum Conciliorũ Decretis, tertio ex traditione Apoſtolica vel Eccleſiæ. Quarto ex conſenſu Sanctorum Patrum. Quinto ex conſenſu etiam Doctorum Scholaſticorum, & rationibus Theologicis iuxta doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis: & omnia hæc quã breuiſſimè ſine aliqua diffuſione ſuperflua, vel extranea auctoritate. Deinde ad ſolutionem argumentorũ procedendum erit ſuo ordine, vt poſita ſunt, & eiſdem verbis quibus ab hæreticis conficiuntur allegando librum, & omnia alia exactè, & poſitis in forma ſyllogiſtica cum eorum probationibus, et duabus ſolutionibus cuique argumento ſatisfacere, vt in theorica Artis dictum eſt; altera in materia, altera in forma, in qua manifeſtanda eſt euidentia falſitatis: & ſic de omnibus alijs ordine ſupradicto fiet.

In ſecundo Tractatu erit Practica eodem modo in rebus quæ ab hæreticis expugnantur cum eorum falſis dogmatibus, & argumentis.

In tertio Tractatu proponentur præcepta & conſilia ab hæreticis calumnioſè tradita, & ab eiſdem negata, et ſimiliter erit procedendum.

In quarto vero Tractatu vbi de Articulis fidei agetur eodem modo erit practica circa errores, & eorum ſyllogiſmos.

In quinto Tractatu agitur de Sacramentis, & hæreſibus contra omnia, et quodlibet eorum, et de ſolutione eorum argumentorum eodem ordine.

In ſexto autem Tractatu vbi de gratia, et libero arbitrio, de virtutibus, de

bus,de iuſtis,et iuſtitia agitur, ſuo ordine vt in alijs Tractatibus procedet Practica hæc noſtra.

In ſeptimo Tractatu,de peccatis,& peccatoribus,& vitijs.
In octauo Tractatu,de quatuor nouiſſimis agitur, in his quæ ab hæreticis defenduntur in peccatis, & excuſant vel falſo perſuadent, & negant de quatuor nouiſſimis contra veritatem,cum ſolutionibus eorum argumentorum,finietur Deo dante Practica huius Artis.

CAPUT SEPTIMUM.

De Practica confutationis dogmatum hæreticorum iuxta Artem noſtram.

PRima hæreſis contra Trinitatem Perſonarum Diuinarum fuit excitata à Montaniſtis, in ſecũdo ſeculo,qui in vnius Perſonæ anguſtiam,ponunt Diuinitatem. In tertio ſeculo Paulianiſtæ eundem errorem ſequuti ſunt, & in duodecimo ſeculo Bogomili, & Sabelliani, & Priſcilianiſtæ, & in noſtro ſeculo Seruetus, & alij. De hac hæreſi meminit ſanctus Hieronymus epiſtola 54. Theodoretus lib. 3. hærec. fabul. Iuſtinus in expoſitione fidei, Paſcaſius Papa in Conc. Lateran. S. Thom. 1. p.q. 30.& 31.

Contra hanc hæreſim,& ad eam confutandam,primo ex ſacra Scriptura habemus in ſenſu litterali teſtimonia, & primum ſit ex Matth. cap. 28. vbi Chriſtus Dominus tradens formam Sacramenti Baptiſmi, ſic dicit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* *Matt. 28.* In ſenſu litterali explicat hæc verba S. Hieron. in cap. 4. ad Epheſios his verbis: Fides vna dicitur,quia Patrem,& Filium, & Spiritũ ſanctũ credimus,& loquitur de fide Baptiſmi. Et S. Ambroſ. lib. 8. ſuper Lucam cap. 18. Trinitatem vtique confitentur, qui ad Baptiſmum veniunt, quia baptizantur in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti; ergo Patri & Filio,& Spiritui ſancto confitentur; et lib. 2. ſuper Lucam cap. 3. *Hieron. Ad Eph. 4.* *Ambroſ.* Nunquam poteſt à ſe Trinitas ſeparari, vnum Deum dicimus, ſed Patrem confitemur,et prædicantem de Filio ſuo in Baptiſmo audimus, et credamus: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui:* audiamus etiam,et credamus Filium de Spiritu ſancto docentem eſſe ſpiritum veritatis: didicimus ex his locis colligi quam indiuiſa ſit ſubſtantia Trinitatis,et Patrem verè eſſe Patrem, et Filium verè Patris eſſe Filium,et Spiritum ſanctum verè Patris, et Filij eſſe Spiritum ſanctum, hæc eſt ſalus credentium. Sic Ambroſius.

Secundum teſtimonium ſacræ Scripturæ eſt apud Iſaiam cap. 6. et

Digitized by Google

Apoc. 4. vbi clamant Cherubin, et Seraphin, et animalia ſancta. Sanctus, Sanctus Sanctus. Clem. lib. 8. de tribus Perſonis explicat, de Patre, Filio, et Spiritu ſancto, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*. et hi tres unum ſunt *vnus Dominus omnipotens*. Sanctus Ambroſ. lib. 7. ſuper Lucam cap. 12. ter ſanctus indefeſſis uocibus clamant Cherubin et Seraphin, ut Trinitas repetita, trina appellatione ſignetur.

Tertium teſtimonium eſt 1. Ioan. 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, et hi tres unum ſunt. In hoc ſenſu ad litteram de tribus Diuinis Perſonis explicat hæc uerba Iuſtinus in lib. de recta fide. *Deus in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto agnoſcitur* unamque, et eandem *eſſentiam habent*.

Secundo confutatur ſupradictum dogma ex definitione ſacrorum Conciliorum, et ferè in omni ſeculo, habemus huius dogmatis confutationem; et primo in Concilio Nicæno in Symbolo ibi edito. Secundo in Concilio Conſtantinopolitano, Epheſino, et Calcedonenſe, et in Synodis Generalibus 5. 6. 7. et 8. Tertio in Concilio Lateranenſi, Viennenſi, et Florentino. Quarto in ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 3. ubi confirmat, et definit Fidem de Trinitate ab Apoſtolicis temporibus uſque ad nos continuatam. Quinto in Concilio Bracarenſi ſi quis Patrem, et Filium, et Spiritum ſanctum non confitetur tres Perſonas unius ſubſtantiæ, et uirtutis, ac poteſtatis ſicut Catholica, et Apoſtolica Eccleſia docet, ſed Vnam tantum, et ſolitariam dicit Perſonam, ita ut ipſe ſit Pater, qui Filius, et ipſe etiam ſit Spiritus ſanctus, ſicut Sabellius, et Priſcillianus dixerunt, anathema ſit. Sexto in Concilijs Toletanis 1. 3. 11. et 16. eadem ueritas Catholica confirmata eſt.

Tertio confutatur ſupradictum dogma ex auctoritate, et doctrina Sanctorum Patrum, et 1. ex Diuo Ambroſio lib. 2. ſuper Lucam cap. 3. his uerbis: Nunc conſideremus myſterium Trinitatis, unum Deum dicimus, ſed Patrem confitemur, et Filium quia ut ipſe teſtatur Ioannis 6. Non ſum ſolus, ſed Pater mecum eſt; adeſt etiam Spiritus ſanctus ſicut ipſe manifeſtauit ſe in ſpecie columbæ. et lib. 7. ſuper Lucam c. 12. Quod credimus, unitas Trinitatis eſt, indiſcreta, utique magnitudine, ſicut indiſcreta operatio, Chriſtus Filius Dei eſt, et Filij hominis homo factus. Pater uobis dat quid loquamini Matt. 10. et Spiritus ſanctus docebit uos in illa hora Lucæ 12. et idem D. Ambroſ. ſuper epiſtolam 1. ad Cor. 12. ſic dicit: Si enim Spiritus ſanctus idem Dominus eſt, et Dominus idem Deus eſt, tres unus Deus eſt, et Dominus Ieſus idem eſt in natura quod Deus eſt, et Pater Deus eſt, et ſinguli Deus unus, et tres Deus vnus. Deniq; operãte vno, tres operari dicuntur, vt Trinitatis myſterium in vnius Dei natura, & potencia claudatur, cum ſit immenſum.

Digitized by Google

Diuus Hieron.ſuper Iob cap.39.tres Perſonas Trinitatis colligit ex verbis Geneſ. 1. Faciamus hominem, &c. & ex Pſalmo 2. Dirumpamus vincula eorum &c. & adducit textum Actuum 4.in hoc ſenſu.

D.Greg. Nazianz. in oratione 20. ſic. Vnam Patris Gloriam eſſe agnoſcimus Vnigeniti æqualitatem,vnam autem Filij,& Spiritus ſancti adæquationem, tria quo ad proprietates, vnum quo ad Diuinitatem venerantes,& agnoſcentes.

Diuus Aug. tractatu 39.in Ioan.Pater & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, vnum lumen, & 6. de Trinitate cap.9. Nunc ergo ex Domini teſtimonio Patrem ſolum verum Deum dicimus, & Filium ſolum verum Deum & Spiritum ſanctum,verum Deum ſolum, & ſimul Patrem,& Filium,& Spiritum ſanctum,ideſt ſimul ipſam Trinitatem,non tres veros Deos,ſed vnum verum Deum.

Diuus Auguſtinus ſuper Pſalm. 4. & ſuper illa verba Rex meus, & Deus meus ſic dicit ad confutandum dogma ſupradictum. Quamuis & Filius Deus & Pater Deus,& ſimul Pater,& Filius vnus Deus & ſi interrogemur de Spiritu ſancto nihil aliud reſpondendum eſt niſi quod Deus ſit. Et cum ſimul dicunt Pater & Filius,et Spiritus ſanctus nihil aliud intelligendum eſt quam vnus Deus, non enim duos ac tres Deos fides Catholica prædicat, ſed ipſam Trinitatem vnum Deum, non vt eadem Trinitas ſimul poſſit aliquando Pater,aliquando Filius, aliquãdo Spiritus ſanctus dici,ſicut Sabellius credidit, ſed vt Pater non niſi Pater,et Filius non niſi Filius, et Spiritus ſanctus non niſi Spiritus ſanctus,et hæc Trinitas non niſi vnus Deus; quia cum dixiſſet Apoſt. Rom.11. Ex quo omnia,per quem omnia,in quo omnia. Trinitatem ipſam inſinuaſſe creditur nec tamen ſubiecit ipſis Gloria,ſed ipſi Gloria.

Sanctus Thom.de Aquino in 1.p.q.30.et 31.non ſolum doctrinam Sanctorum Patrum de trium Perſonarum veritate cum vnitate eſſentiæ confitetur,et docet ſed probat demonſtrationibus theologicis,quam omnes Scholaſtici Doctores, et Nominales, et Scotiſtæ, et Thomiſtæ vnanimiter ſequuti ſunt, quorum concordia ſine manifeſto ueritatis teſtimonio,poſſibilis non eſſet. Et ſic poſitis his Theologicis demonſtrationibus finitur modus confutandi dogma hæreticorum omni poſſibili efficacia.

CAPVT OCTAVVM.

De Practica reſponſionis ad argumenta hæreticorum cum euidentia falſitatis eorum.

EX innumeris argumentis hæreticorum, quouſque libros originales habeamus, ut ex illis uerba formaliter deſumantur, ut ab hæreti-

hæreticis pronuntiantur, ſolum unicum hic proponendum pro exemplari ſtatuimus.

Tranſiluani in lib. 2. cap. 6. ſic proponunt argumentum contra Sanctiſſimam Trinitatem: Nomen Dei eſt nomen dignitatis, & Imperij, non eſſentiæ: ſed Pater Chriſti habet imperium ſuum, in omnes abſolutè, etiam in Chriſtum, & Chriſtus habet imperium in omnes excepto Patre, ergo Pater eſt ſummus Deus ſimpliciter; Chriſtus verò eſt ſummus Deus poſt Patrem.

Maiorem propoſitionem probant ex Pſalmo 81. Deus ſtetit in Synagoga Deorum. Minorem probant ex verbis Chriſti Ioannis 14. Pater maior me eſt, & Ioan. 6. Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Et 1. ad Corinth. cap. 15. dicit Paulus, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri, Chriſto autem omnia excepto Patre, qui ſubiecit ei omnia.

Ad ſolutionem huius argumenti ſecundum Artem noſtram, ſolutiones duæ adhibentur. Prima in materia, pro ſatisfactione Catholicorum, & veritatis manifeſtatione; & ſic negamus maiorem propoſitionem ſupradicti argumenti quo ad omnes eius partes: quia nomen Dei non ſignificat tantum iudicium, imperium, & dignitatem; ſed denotat primo, & principaliter Dei eſſentiam, vt ex omnium Sanctorum Patrum, & Doctorum Scholaſticorum ſententia patet, & nullus dixit Deum ſignificare tantum imperium.

Minor etiam negatur vt falſa in eo ſenſu quo ibi ſumitur, de Chriſto vt Deus eſt, & ſimiliter concluſio falſa eſt: quia concludit de Chriſto vt Deus eſt cum deberet concludere de Chriſto vt homo eſt; in quo ſenſu intelligitur multiplex auctoritas ſacrarum Scripturarum ab ipſis allegata. Sic explicat ſanctus Athanaſius verba Ioannis cap. 14. Minor Patre ſecundum humanitatem; & ſic etiam omnes ſancti Patres illum locum explicant. Auctores verò Græci, & ex Latinis D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & Hilarius lib. 9. de Trinitate, qui intelligunt maiorem ratione principij; ſic ipſi explicant, ſine detrimento æqualitatis; ſic D. Gregorius Nazianz. orat. 29. Ad locum Ioan. cap. 6. Reſpondetur de aſſumptione formæ ſerui intelligi ſic S. Thomas 4. cont. Gent. c. 5. Ad verba diui Pauli, Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 8. et omnes expoſitores Catholici loquutum fuiſſe de humanitate Chriſti dicunt, Ambroſ. ſuper 1. Cor. cap. 15. cum dicit omnia in omnibus, hoc ſignificauit, quia omnia ex ipſo ſunt, et in ipſis eſt, ex ipſo quia ab ipſo creata ſunt, in ipſis autem quia in omnium confeſſione Deus erit Deus, non tamen ſic ſubijcitur Filius Patri, ſicut Filio creatura, ſed hoc eſt ſubijcere Filium Patri, ideſt Deum eſſe omnia in omnibus vt ab omnibus Deus confitea-

tur

tur Deus. In eodem ſenſu explicat ſanctus Ambroſ. verba Pauli lib. 10. ſuper Lucam cap. 20. et lib. 5. de fide c. 7. diffusè.

Secunda ſolutio in forma ſylogiſtica, et per fallacias, ſecundum quas argumentatum propoſitum procedit, ſic formatur, ſecundum Artem noſtram in eius Practica.

In maiori propoſitione committitur fallacia æquiuocationis, in voce, Dei, quia ſignificat multa, et diuerſo modo, et in minori propoſitione committitur etiam fallacia æquiuocationis in voce, Chriſti, propter diuerſas eius ſignificationes, et ſic conuincitur de falſitate concluſionis, cum euidentia falſitatis, propter duplicem fallaciam æquiuocationis: probatur prima fallacia ex eius diffinitione ſic tradita ab Ariſt. fallacia æquiuocationis eſt, quando vnum nomen plura ſignificat, & in vna propoſitione ſumitur in vna ſignificatione, & in alia vel in concluſione ſumitur idem nomen, in alia ſignificatione, exemplum huius manifeſtum eſt, in hoc ſyllogiſmo, omnis canis latrat, ſed ſidus cæleſte eſt canis, ergo ſidus cæleſte latrat; nomen canis ſignificat canē terreſtrem, cæleſtem & marinum, & in maiori propoſitione ſumitur pro his tribus ſignificationibus, & eſt falſa quia tantum canis terreſtris latrat, & ſic non valet. Concluſio immo conuincitur de falſitate, propter fallaciam æquiuocationis, canis.

Sic in ſupradicto argumento hæreticorum, nomen Dei, ſignificat plura, primo, & principaliter, Dei eſſentiam, ſecundum Hebræos, & ſecundum ſacram Scripturam, & ſic eſt nomen proprium Dei, ex Pſal. 47. Secundum nomen tuum Deus ita & laus tua, & Pſal. 138. Magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum, & in hac ſignificatione manifeſtatur charitas Dei, vt nos amemus Deum propter ſeipſum ſecundum D. Hieron. homil. 1. in Cantica. Secundo nomen Dei ſignificat Angelos, & Iudices, & Prophetas ad quos ſermo Dei factus eſt, abuſiuè ſecundum D. Hieron. loco citato, et vel per participationem, vt alij dicunt, quia repræſentant, et habent vices ipſius Dei, et in hac ſignificatione manifeſtatur amor proximi ſecundum D. Hieron. loco citato. Tertio nomen Dei ſignificat Idola et Deos gentium, quibus falsè tribuitur hoc nomen, vt Pſal. 95. Omnes Dij gentiū dæmonia; cū ergo nomen Dei habeat omnes iſtas ſignificationes, et in maiori propositione ſumatur in ſecunda ſignificatione, et in minori, pro prima ſignificatione, conuincitur de falsitate concluſionis, propter fallaciam æquiuocationis, cum euidentia falsitatis.

Probatur ſecundo eadem fallacia, in ſecunda ſpecie æquiuocationis, quæ ſecundum Ariſt. committitur, quando aliquod nomen principaliter vnum ſignificat, et per prius, alia verò metaphoricæ, tranſumptiuè, et

uè, et per analogiam, et per poſterius, vt ſanum primo et principaliter et per prius, dicitur de corpore ſano; ſecundario verò et minus principaliter, et metaphoricæ, et per analogiā, et per poſterius, ſignificat vrinam et medicinam, quia illa eſt ſignum ſanitatis, et iſta cauſſa ſanitatis, licet non ſemper, et ideo non valet argumentum cum hac fallacia.

Sanum eſt quod habet æqualitatem humorum, ſed vrina vel medicina eſt ſana, ergo vrina vel medicina habet æqualitatem humorum, quia in maiori propoſitione ſumitur ſanum, pro eo, quod principaliter et per prius dicitur ſanum, et in minori pro eo quod ſecundario, et minus principaliter et per metaphoram dicitur ſanum, et ſic concluſio euidenter eſt falſa, ob fallaciam æquiuocationis.

Similiter non valet argumentum hæreticorum, ſuprafactum, quia nomen Dei ſumitur in maiori, vt dicitur de Iudicibus, per poſterius analogicæ et metaphoricæ, et in minori propoſitione ſumitur ſignificatio Dei pro eo quod primo et principaliter ſignificat Dei eſſentiam, et ſic conuincitur euidenter de falſitate, propter fallaciam æquiuocationis in ſecunda eius ſpeciæ.

Eſt alia fallacia æquiuocationis in nomine Chriſti, quia Chriſtus ſignificat perſonam Verbi, in duabus naturis, ſcilicet in Diuina natura et humana, et in minori propoſitione ſupradicti argumenti, in prima eius parte, in qua dicit Patrem habere imperium in Chriſtum, ſumitur pro Chriſto vt in natura Diuina, et ſic eſt falſa, licet ſit vera vt in natura humana, et in alia parte minoris in qua dicitur Chriſtum habere imperium in omnia, præter Patrem; ſumitur Chriſtus, vt in natura humana, et ſic conuincitur de euidenti falſitate propter fallaciam æquiuocationis nominis Chriſti.

Vtramque æquiuocationem docuit Chriſtus Dominus, reſpondens Phariſæis, Ioannis 10. his verbis: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura* (ecce ſecundam ſignificationem nominis Dei) *quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixit. Filius Dei ſum* (in his verbis primam, et propriam ſignificationem Dei manifeſtauit.) Et de æquiuocatione nominis Chriſti, et primo de natura humana, dixit: *operibus credite*; de ſignificatione Chriſti in natura diuina, addidit, *vt credatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Et ſic vtramque æquiuocationem expreſſit.

Reſpondit ergo Chriſtus Dominus per hanc fallaciam æquiuocationis, et conuincit Magiſtros Phariſæorum de euidenti falſitate, *& de errore eorum.*

FINIS.

INDEX

INDEX TRACTATVVM, ET CAPITVLORVM ARTIS.

IN TRACTATV PRIMO.

Cap.1. DE Ordine. fol.1
Cap.2. De intentione Auctoris. 2
Cap.3. De ratione naturali. 4
Cap.4. De principijs Artis noſtræ. 5
Cap.5. De ordine, & modo procedendi in hac Arte. 7

IN TRACTATV SECVNDO.

Cap.1. DE veritate. 9
Cap.2. De vbi & quomodo inueniatur veritas. 11
Cap.3. De veritate intellectus, diuidentis, & componentis. 12
Cap.4. De vnica veritate. 13
Cap.5. De mutabilitate veritatis. 14
Cap.6. De veritate, quæ eſt in ſenſu. 15
Cap.7. De primo, & vnico Magiſtro veritatis. 15

IN TRACTATV TERTIO.

Cap.1. DE falſitate. 18
Cap.2. De falſitate in ſenſu. 20
Cap. 3. De falſitate, quæ eſt intellectu. 21
Cap.4. De magiſterio falſitatis. 22
Cap.5. De Magiſtro falſitatis. 23
Cap.6. De doctrina hæreticorum, & de magiſterio diaboli. 24
Cap.7. De effectu doctrinæ hæreticorum. 25
Cap.8. De his, qui non inficiuntur doctrina Hæreticorum. 27
Cap.9. De prædicatione doctrinæ hæreticorum, auctore, & magiſtro diabolo. fol. 27

IN TRACTATV QVARTO.

Cap.1. DE materia neceſſaria. 29
Cap.2. De materia certiſsima in fide Catholica. 29
Cap.3. De materia probabili. 30
Cap.4. De probabilitate Theologica. 31
Cap.5. De materia ſophiſtica. 31
Cap.6. De forma figura, & modo Syllogiſticis. 32

IN TRACTATV QVINTO.

Opuſ. De interpretatione Sancti Thomæ Aquinatis.

Cap.1 DE nomine quid ſit, ſecundum intentionem Logicam. 34
Cap.2. De verbo quid ſit formaliter ſecundum deſcriptionem Logicam. 36
Cap.3. De oratione quid ſit, & de ſpeciebus eius. 38
Cap.4. De enuntiatione quid ſit, & quid eſt verum, & falſum. 39
Cap.5. Quod veritas, & falſitas ſunt tantum in enuntiatione, & quare. 40
Cap.6. De enuntiatione cathegorica, & hypothetica affirmatiua, & negatiua. 42
Cap.7. De quantitate propoſitionum cathegoricarum de ineſſe, ſcilicet de vniuerſali, particulari, indefinita, & ſingulari. 44
Cap.8. De oppoſitione propoſitionum cathegoricarum exiſtentium in figura quantum ad enuntiationes, de ineſſe. 46
Cap.9. De æquipollentijs enuntiationum cathegoricarum de ineſſe. 48
Cap.10. Quomodo enuntiationes cathegoricæ de ineſſe ſitæ in figura ſe habent ad veritatem, & falſitatē. 50

Ff Cap.

Cap.11. Quid ſit propoſitio modalis, & de eius quantitate. 51
Cap.12. De qualitate propoſitionum modalium quo ad affirmationem, & negationem. 53
Cap.13. De oppoſitione, & æquipollentia enunciationum modalium. 54
Cap.14. De enuntiatione hypothetica, & de tribus ſpeciebus eius. 56

De Syllogiſmo ſimpliciter.

Cap.1. Quid ſit ſyllogiſmus, & quæ ad ipſum requiruntur conſtituendum. 59
Cap.2. De conuerſione propoſitionum de ineſſe, & de ſpeciebus eius. 61
Cap.3. De conuerſionibus propoſitionum modalium, & differenti modo earum. 64
Cap.4. De ſyllogiſmis oſtenſiuis de ineſſe quo ad modum, & ſignum. 66
Cap.5. De ſyllogiſmis inutilibus in omni figura. 69
Cap.6. De ſyllogiſmis primæ figuræ directè concludentibus, & de ſyllogiſmis ſecundæ figuræ. 71
Cap.7. De ſyllogiſmis tertiæ figuræ, & de reductione omnium ſyllogiſmorũ ad duos primos modos primæ figuræ. 73
Cap.8. De ſyllogiſmis indirectè cõcludentibus, & de reductione ipſorum. 76
Cap.9. De inuentione medij termini, in ſyllogiſmis omnium figurarum tã affirmatiuis, quã negatiuis. 78
Cap.10. De differentia ſyllogiſmi ad impoſſibile ab oſtenſiuo. 81
Cap.11. De ſyllogiſmis ad impoſsibile, in quibus figuris fiant. 82
Cap.12. De ſyllogiſmis ad impoſsibile qualiter reducantur ad ſyllogiſmos oſtenſiuos. 84
Cap.13. De ſyllogiſmis modalibus quantũ ad propoſitiones de neceſſario. 86
Cap.14. De ſyllogiſmis contingentibus. 88
Cap.15. De mixtione contingentis, & neceſſarijs in tribus figuris ſyllogiſmorum. 92
Cap.16. De ſyllogiſmis conditionalibus ex propoſitionibus ſimplicibus. 94
Cap.17. De ſyllogiſmis conditionalibus ex propoſitionibus hypotheticis compoſitis. 95
Cap.18. De ſyllogiſmis diſiunctiuis, & de propoſitionibus reduplicatiuis, & de conuerſione per comparationem. 97

De ſyllogiſmo demonſtratiuo.

Cap.1. De ſyllogiſmo demonſtratiuo quid ſit. 100
Cap.2. Quid ſit dici de omni per ſe primo, ſeu vniuerſaliter. 101
Cap.3. Quod demonſtratio procedit ex veris, & neceſſarijs. 103
Cap.4. Quod demonſtratio procedit ex præmiſsis in quibus eſt per ſe, & non per accidens. 104
Cap.5. Quod demonſtratio procedit ex primis, & immediatis 105
Cap.6. Quod demõſtratio procedit ex proprijs, & non ex extraneis, nec ex communibus. 106
Cap.7. Quod demonſtratio procedit ex per ſe notis. 109
Cap.8. Quod demõſtratio procedit ex cauſis concluſionis. 110
Cap.9. Quòd demonſtratio potiſsima affirmatiua fit ſolum in prima figura, & in primo modo eius. 112
Cap.10. Quod demonſtratio potiſsima negatiua debet fieri in ſecundo modo ſecundæ figuræ. 113
Cap.11. Quod demonſtratio quia procedit ab effectu ad cauſam, vel à cauſis remotis ad effectum. 115
Cap.12. Quod in demonſtratione aliqua ſunt præcognita poſtquam demõſtrata eſt. 117
Cap.13. Quod ſcientia, quæ eſt per cauſſam, & quæ dicit formam eſt certior quam illa, quæ dicit effectum, & quæ dicit materiam. 120
Cap.14. Quod vnitas formalis ſcientiæ ſumitur ab vnitate formali ſubiecti ſecundum rationem ſcibilis. 120
De ſenſu. 123
De inuentione medij. 125

IN

IN TRACTATV SEXTO.

Cap.1. De fallacijs. 127
Cap.2. De diſputatione. 128
Cap.3. De quatuor ſpeciebus diſputationis. 128
Cap.4. De diſputatione ſophiſtica in particulari. 129
Cap.5. De metis, vel terminis ſophiſtæ. 129
Cap.6. De modis argumentationis. 130
Cap.7. De principijs motiuis fallaciarũ. 131
Cap.8. De diuiſione fallaciarum. 131
Cap.9. De prima fallacia in dictione ex voce. 131
Cap.10. De fallacia æquiuocationis. 132
Cap.11. De fallacia amphibologiæ. 133
Cap.12. De fallacia compoſitionis, & diuiſionis. 135
Cap.13. De fallacia accentus. 138
Cap.14. De fallacia figuræ dictionis. 140
Cap.15. De fallacijs extra dictionem. 141
Cap.16. De fallacia accidentis. 142
Cap.17. De fallacia ſecundum quid, & ſimpliciter. 145
Cap.18. De fallacia ſecundum ignorantiam elenchi. 147
Cap.19. De fallacia petitionis principij. fol. 148
Cap.20. De fallacia conſequentis. 150
Cap.21. De fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam. 152
Cap.22. De fallacia ſecundum plures interrogationes, vt vnam. 153

IN TRACTATV SEPTIMO.

Cap.1. De fallacijs proprijs hæreticorum ſecundum ſanctum Ambroſium. 155
Cap.2. De fallacijs proprijs hæreticorũ notatis à S. Hieronymo Eccleſię Doctore. 157
Cap.3. De nouis hæreticorum fallacijs ex D. Auguſtino. 159
Cap.4. De nouis fallacijs proprijs hæreticorũ à D. Athanaſio deſcriptis. 161
Cap.5. De fallacijs hæreticorum iuxtà S. Gregorij Nazianzeni relationem. fol. 166
Cap.6. De fallacijs nouis hæreticorum, quæ à S. Thoma notantur. 168

IN TRACTATV OCTAVO.

Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias, ſecundum D. Auguſtinum. 177
Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias ex S. Gregorio Nazianzeno. 182
Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias, & ſophiſmata ex D. Hieronymo. 191
Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias, ex S. Thoma Aquinate. 209

PRACTICA ARTIS.

Cap.1. De intentione Auctoris, & de neceſſitate huius Practicæ. 212
Cap.2. De modo procedendi. 214
Cap.3. De cauſſa huius Practicæ. 215
Cap.4. De exemplis huius Artis. 216
Cap.5. De effectu huius Artis. 217
Cap.6. De ordine procedendi. 218
Cap.7. De practica confutationis dogmatum hæreticorum iuxtà Artem noſtram. 219
Cap.8. De Practica reſponſionis ad argumenta hæreticorum cum euidentia falſitatis eorum. 221

INDEX VERBORVM ARTIS AD SOLVENDA ARGVMENTA HAERETICORVM.

A

AD argumenta hæreticorum adhibentur duæ ſolutiones. 6
Adulterare verbum Dei quid. 24
Anima rationalis eſt omnia. 9
Animarum multiplicatio. 209
Anima immortalis. 209
Argumenta omnia contra fidem euidenter ſolui poſſunt. 4
Argumenta hæc non ſunt demonſtrationes, nec probabiles rationes niſi apparenter. pag. 5
Argumenta hæreticorum ſunt ſophiſmata, pag. 5
Argumenta hæreticorum non habent vim demonſtrationis. 6
Argumenta hæreticorum continent fallaciã, & ſunt falſa. 6
Artis intentum. 7
Artis ordo. 7
Artis noſtræ neceſſitas. 213
Artis exempla. 216
Artis effectus. 217
Artis practica in confutatione dogmatis. pag. 219
Artis practica in ſolutione argumentorum, & ſequentibus. 211

B

Bonum, & malum quomodo ſunt contraria. 209

C

Cerei vſus in honore Martyrum. 199
Certitudo ſcientiæ à ſolo Deo eſt. 16
Cognitio eſt veritatis effectus. 10
Cognitio verorum in nobis quomodo fiat. 17

D

Deus eſt doctor veritatis naturalis, & reuelatæ. 6
Deus eſt Magiſter veritatis. 6
Deus eſt veritatis Magiſter, & quomodo doceat. 15
Deus eſt Magiſter veritatis naturalis, & reuelatæ. 15
Demonſtratio ex quibus procedit. 103. 104
Demonſtratio affirmatiua in prima figura. pag. 112
Demõſtratio negatiua in ſecunda figura. 113
Demonſtratio quia ab effectu ad cauſam. 115
Deſperandum vnquam. 206
Diabolus eſt magiſter falſitatis. 6
Diabolus eſt magiſter hæreticorum. 24
Diabolus pugnat vt ſerpens, & vt draco. 213
Dialectica neceſſaria ad Artem hanc, & omnia neceſſaria Dialecticæ hic apponuntur. pag. 33
Doctrina humana à quo habeat efficaciam. pag. 16
Docens quomodo doceat. 17
Doctores prouidet Deus Eccleſiæ ſuæ contra hæreſes. 156

E

Errores ſingulorum difficile cõfutantur, neceſſarium eſt id facere. 3
Entitas rei præcedit rationem veri. 10

Ens,

Ens & vnum in quotibet ſunt. 10
Electis non nocuerunt hæreſ. 27
Electi comparantur viridi. 27
Enuntiatio. 34
Enuntiatio. 40
Enuntiatio cathegorica,& hypothetica. 42
Enuntiationis diuiſio. 43
Enuntiationis quantitas. 44
Enuntiatio modalis, 51
Eeleemoſyna data Religioſis vtilior. 203
Eleemoſyna paulatim dando, vel omnia ſimul quæ melior. 204

F

FAlſitas in quo conſiſtit. 18
Falſitas non eſt in comparatione ad intellectum diuinum. 18
Falſitas in ſenſu ſi eſt. 20
Falſitas in intellectu. 22
Falſum fundatur in vero. 19
Falſum quid ſignificat. 19
Falſum eſt malum intellectus. 22
Falſum in Angelo quomodo eſt. 22
Falſitatis magiſter diabolus. 24
Fallaciæ ſophiſticæ. 127
Fallaciæ ſpecies mete modi. 129
Fallaciarum motiui. 131
Fallaciarum diuiſio. 131
Fallacia prima in dictione. 131
Fallacia æquiuocationis. 132
Fallacia amphibologiæ. 132
Fallacia compoſitionis, & diuiſionis. 135
Fallacia accentus. 138
Fallacia figuræ dictionis. 140
Fallacia extra dictionem. 141
Fallacia Elenchi. 147
Fallacia petitionis principij. 148
Fallacia conſequentis. 150
Fallacia non cauſæ pro cauſa. 152
Fallacia ſecundum plures interrogationes. pag. 153
Fallaciæ propriæ hæreticorum ex Diuo Ambroſio. 155
Fallacia non lecti pro lecto. 155
Fallacia hæreticorum comparatur tineæ, & vulpibus,& araneis. 155
Fallacia retorquendi Scripturam ad ſuos errores. 156
Fallacia multiloquij. 157
Fallaciæ falſæ promiſſionis. 157
Fallacia ex prauo ſenſu. 158
Fallacia ſpiritus proprij. 158
Fallacia fraudulentiæ. 158
Fallacia venenata. 158
Fallacia diuiſionis Scripturæ. 158
Fallacia abuſionis. 158
Fallacia fictionis. 159.196
Fallacia nouitatis. 160
Fallacia mixtionis. 162
Fallaciam ſeductionis. 162
Fallacia figmentorum. 162
Fallacia malæ interpretationis. 164
Fallacia attributionis. 166
Fallacia ſenſus. 167
Fallacia humani ſenſus. 169
Fallacia ex verbo prauæ intentionis. 170
Fallacia elegantiæ. 176
Fallacia conſequentis vtitur Iulianus. 179
Fallacia fraudulentiæ. 192
Fides ſine operibus mortua. 206
Fidei veritas euidenter credibilis. 5
Fidei non eſt contraria veritas rationis humanæ. 6
Finis dat ordini regulam. 1
Finis vniuſcuiuſque eſt bonum. 1
Finis vniuerſi,eſt bonum intellectus. 1
Fugere glorioſum. 204

H

HÆreticorum cor abyſſus. 24
Hæreticorum doctrina comparatur locuſtis, æquis, fumo, ranis, ſcorpionibus; pag. 26.27.28.36
Hæreſes oportet eſſe. 24
Hæretici excœcantur. 28
Hæretici gemunt, quia non ſunt Dialectici, pag. 33
Hæretici,ruina morum. 160
Hæretici calumniantur. 160
Hæretici inſidiantur. 161
Hæretici impudentes. 163
Hæretici ſolum in falſitate conſentiunt. 163
Hæretici ſcribunt ex vanitate. 163
Hæretici Arriani peiores. 164
Hæretici non erubeſcunt. 164
Hæretici Arriani feris peiores. 164
Hæretici quod ipſi faciunt tribuunt Catholicis. 165

Hæretici cum verbis non poſſunt, ad violentiam procedunt. 165
Hæreticus eſt accuſator, & calumniator veritatis. 165
Hæretici plus tribuunt voci quam rei. 167
Hæretici ſunt ſutores Craſſi. 167
Hæretici ſunt nouatores. 168
Hæretici calumniantur Sanctos. 172
Hæretici fingunt mala, dubia pro certis afferunt, parua vt magna exagerant. 172
Hæretici noui, omnes hæreſes antiquas ſuſcitarunt. 175
Hæretici tranſgrediuntur terminos Patrum, pag. 176
Hæreticorum ſententias, prodiiſſe, viciſſe eſt, pag. 196
Hæreſis Caina. 201
Hæretici ſuperbi. 208
Hæretici habitant in ſciſſuris petræ. 208
Hæretici ſunt fures, & latrones. 208
Hæretici deſpiciunt Eccleſiam. 209
Hæretici ſophiſmatibus vtuntur. 299
Homo ſine peccato ſimpliciter. 194

I

INtentio Auctoris. 3
Intellectus noſter à Deo non impeditur. pag. 4
Intellectus format quidditates. 12
Intellectus adæquatur rei. 12
Intellectus reflectitur ſuper actum ſuum. 13
Intellectus, operatio ſecunda. 34
Iulianus vſus eſt Arte ſophiſtica. 179.180
Interceſſio Sanctorum valet. 199

L

LIberum arbitrium quid, loquendum eſſe vt credimus. 209
Loquens timidè in fide ſuſpicionem inducit. pag. 207

M

MAteria neceſſaria ſyllogiſmi. 29
Materia certiſſima in fide. 29
Materia probabilis. 29
Materia probabilis Theologica. 31
Materia ſophiſtica. 31

Medij inuentio. 78.125
Mandata facilia ſi ſunt, & mandata poſſibilia. 192
Monachi officium. 204
Magiſter Principis qualis Magiſter magis à ſe diſcat. 211

N

NOmen, & verbum ſunt artificialia. 35
Nominis pars ſeparata, non ſignificat, pag. 35
Nomen quid ſignificet. 35
Nomen priuationis. 36
Nomen infinitum. 36
Natura non eſt mala. 194
Neceſſitas Artis. 212

O

OPiniones contrariæ, ordo Artis. 7
Ordo Practicæ. 7
Occulta dedecoris, quæ. 28
Oratio quid ſit, & ſpecies eius. 38
Oppoſitio. 54

P

PRima Philoſophia eſt ſcientia veritatis. 1
Principum primum Artis. 6
Prædicator quæ comedere debet. 24
Poſſe, & eſſe differentia. 195

R

RAtio naturalis non eſt contraria fidei. pag. 4
Rei diſpoſitio in eſſe eſt ſicut in veritate. 10
Res quomodo dicantur veræ. 11
Rationis principium, non eſt ratio, ſed melius, ideſt Deus. 170
Reliquiarum veneratio. 200
Reuerẽtia Diui Hier. in ingreſſu Eccleſiæ. 210
Religioſi, amici Dei, domeſtici Dei. 203
Reſponſio ad hæreſes, eſt ex neceſſitate. 213

S

SApientis eſt ordinare. 1
Sapiens quis dicitur. 1

Sapien-

Sapientia eſt,veritati contraria confutare. 2
Sapiẽtiæ ſtudiũ perfectius,iucũdius,vtilius. 3
Solutiones duæ adhibendæ in quolibet argumento hæreticorum. 6
Sapientia creata mutabilis. 17
Syllogiſmus quid. 59
Syllogiſmus oſtenſiuus. 66
Syllogiſmi inutiles. 69
Syllogiſmi primæ figuræ. 72
Syllogiſmi ſecundæ figuræ. 72
Syllogiſmi tertiæ figuræ. 73
Syllogiſmi indirectè. 76
Syllogiſmi ad impoſſibile. 81
Syllogiſmorum reductio ad oſtenſiuos. 84
Syllogiſmi modales de ineſſe. 86
Syllogiſmi contingentes. 88
Syllogiſmi mixti. 92
Syllogiſmi conditionales. 94
Syllogiſmus diſiunctiuus. 97
Syllogiſmus demonſtratiuus. 100
Scientia per cauſam,eſt certior. 120
Senſus eſt ſingulorum. 123
Solutio argumentorum hæreticorum,per fallacias ſecundum D.Auguſt. 177
Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias ex D.Greg.Nazianz. 182
Solutio argumentorum hæreticorum per fallacias ex S.Thoma Aquinate. 209
Solutio argumentorum hæreticorum,per fallacias,& ſophiſmata ex D.Hieron. 191
Suſpicio hæreſis non vult. D. Hieron. quod ſufferatur cum patientia. 208

T

Tentari poſſunt etiam baptizati à diabolo. 205
Teſtimonium verum ab inimicis. 207

V

Veritas rationis humanæ, non eſt ſibi, nec fidei contraria. 6
Veritas quid ſit,& eius variæ diffinitiones. 9
Verum,& ens non differunt. 10
Verum dicitur de pluribus per prius, & poſterius. 11
Veram eſt prius in intellectu Dei. 11
Verũ per poſterius eſt in intellectu noſtro. 11
Veritatis ratio vbi primo inuenitur. 11
Veritas cauſata à rebus. 12
Veritas an dependeat ab intellectu. 12
Veritas prius inuenitur in intellectu componente,& diuidente. 12
Veritas vbi primo inuenitur. 12
Veritas quomodo ſit in rebus. 12
Veritas rerum accidentalis. 13
Veritate vna vera ſunt omnia. 13
Veritas quomodo plures. 13
Veritas in intellectu Angelici. 13
Veritas quæ mutabilis. 14
Veritas quomodo eſt in ſenſu. 14
Veritatis Magiſter Deus. 15
Verbum quid ſit. 36
Verba infinita. 36
Verba quomodo ſupponant. 36
Verba ex parte ſubiecti,& prædicati. 37
Veritas quid. 41
Veritatis notoria quæ. 159
Vigilantius dormit. 299
Victoria prima eſt facere manifeſta quę erant occulta. 208

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ IN HAC ARTE.

Ex veteri Teſtamento.

Gen.19. *DE virgis Iacob, pag.* 181

Iudic.15. *De caudis vulpium.* 156

1.Reg.17. *De Dauid, & Philiſteo pag.* 127

Iudic.5. *De victoria Holofernis.* 127

Pſalm. 2. *Quare fremuerunt gentes, pagina* 185

Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen, pag.* 16

Pſalm. 17. *Eloquium Domini.* 176

Pſalm. 20. *Diminuta ſunt veritates.* 13

Pſalm. 21. *Filij claudicauerunt.* 207

Pſalm. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum, pag.* 293

Pſalm. 33. *Guſtate, & videte quoniam, pag.* 192

Pſalm. 36. *Qui fingis laborem in precepto, pag.* 193

Pſalm. 37. *Et dolos tota die meditabantur, pag.* 181

Pſalm. 38. *Et tabeſcere ſicut aranea.* 156

Pſalm. 40. *Beatus qui intelligit ſuper pauperem.* 203

Pſalm. 49. *Quare tu enarras iuſtitias meas. pag.* 195

Pſalm. 50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* 205

Pſalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* 206

Pſalm. 64. *Ad te omnis caro veniet, pagina* 168.

Pſalm. 65. *In flumine pertranſibunt pede pag.* 185

Pſalm. 77. *Superbia eorum qui te oderunt. pag.* 25

Pſalm. 81. *Deus quis ſimilis tibi.* 174

Pſalm. 93. *Propter verba labiorum tuorum. pag.* 193

Pſalm. 104. *Ferrum pertranſijt animam eius.* 168

Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* 206

Pſalm. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* 158

Prouerbiorum 1.

Cap.1. *SApientia eſt viro prudenti.* 1

Cap.1. *Deglutiamus eos.* 26

Cap.1. *Principium ſapientiæ eſt timor Domini.* 292

Cap.8. *Sapientia meditabitur guttur meum. pag.* 2

Cap.8. *Præcepit fluctibus maris ne trāſirent fines ſuos.* 27

Cap.14. *Lætitiam, & gaudium luctus occupant.* 103

Cap.17. *Ferrum ferro acuitur.* 211

Cap.20. *Qui ambulat ſimpliciter ambulat confidenter.* 207

Cap.22. *Non tranſeas terminos antiquos. pag.176.* 176

Sapientiæ 7.

Cap.7. *SApientia infinitus eſt theſaurus. pag.* 2

Cap.8. *Non habet amaritudinem.* 3

Iſaiæ 7. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* 220

Cap.22. *Vrbs clamoris plena.* 157

Cap.50. *Dominus aperuit mihi aurem.* 170

Cap.55. *Aedificant ſuper lateres.* 157

Cap.57. *Telas araneæ texuerunt. pagina* 157

Cap.

Cap.65. *Recede à me quia mundus ſum.* pag. 192
Cap.70. *Conſilium meum ſtabit*, pagina 171
Ierem.17. *Inſcrutabile cor hominis.* 24
Cap.31. *Dentes ſtupuerunt.* 158
Ezech.16. *Meretrix facta es.* 158
Daniel.2. *Eſt Deus in cælo reuelans.* 16
Oſea 8. *Quaſi clibanus ardens.* 25
Oſea 9. *Vuluam ſterilem dabis eis.* 196
Mich.1. *Iacob dilexi.* 194
Abd.1. *Superbia cordis tui.* 20

Ex nouo Teſtamento.

Matt.5. *Beati pauperes ſpiritu.* 293
Cap.7. *Intrate per anguſtiam portam.* 293
Cap.7. *Intrinſecus ſunt autem lupi rapaces.* 174
Cap.10. *Quod auditis in cubiculis.* 196
Cap.11. *Confiteor tibi* Pater, *quia reuelaſti*, pag. 11
Cap.11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* 164
Cap.19. *Si vis perfectus eſſe vade*, pag. 196.203
Cap.18. *Dicite quia vobis dormientibus.* pag. 186
Cap.25. *Lampades accenſæ.* 196
Cap.28. *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, pag. 213
Marci 11. *Speluncam latronum.* 157
Cap.12. *Non eſt Deus mortuorum.* 198
Luca 8. *Vulpes foucas habent.* 156
Cap.10. *Videbam Sathanam ſicut fulgur.* pag. 24
Cap.11. *In Beelzebub.* 192
Cap.11. *Sint lumbi veſtri præcincti.* 200
Cap.16. *Facite vobis amicos de mammona*, pag. 203
Ioannis 1. *Erat lucerna ardens.* 200
Cap.8. *In hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* 1
Cap.8. *Mendax ab initio.* 6
Cap.8. *Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur.* 29
Cap.19. *Tunica inconſutilis.* 199
Ad Rom.1. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* 181
Cap.3. *De peccato damnauit peccatum.* pag. 193
Cap.7. *O altitudo ſapientiæ.* 194
Cap.7. *Conſentio legi Dei.* 193
Cap.7. *Non quod volo bonum ago.* 194
Cap.8. *Qui ſpiritu Dei aguntur hi filij Dei.* 170
Cap.8. *Quod erat impoſſibile legi.* 193
Cap.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* 127
Cap.10. *Prope eſt verbum in ore tuo.* 8
Cap.11. *Per vnam Sabbathi dc eleemoſyna.* pag. 203
1.Cor.6. *Quæ conuentio lucis ad tenebras.* pag. 205
1.Cor.11. *Timeo ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam.* 205
1.Cor.12. *Oportet hæreſes eſſe.* 213.241
1.Cor.13. *Ex parte cognoſco.* 192
2.Cor.4. *Abdicamus occulta dedecoris.* 28
Galat.5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, pag. 104
Cap.6. *Qui ſunt* Doctores *fidei.* 203
Epheſ.2. *Gratia ſalui facti eſtis.* 199
Cap.3. *Mihi Sanctorum minimo data eſt gratia.* 17
Philipp.3. *Quæ retro ſunt obliuiſcens.* 192
Coloſ.2. *Ne quis vos deprædetur.* 175
2.Theſſal.2. *Non moueamini à ſenſu veſtro.* pag. 174
Titum 3. *Hæreticum de vita.* 116
Iacobi 1. *Cras ibimus.* 192
1.Pet.1. *Qui peccatum non fecit.* 193.210
1.Ioan.2. *Qui ex Deo eſt non peccat.* 205
1.Ioan.3. *Aduocatum habemus.* 205
1.Ioan.5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo.* 221
Apoc.9. *Vidi ſtellam cecidiſſe.* 24
Cap.9. *Præcipit ne lederet.* 27
Cap.14. *Vidi caput quaſi occiſum.* 269
Cap.14. *Sequuntur Agnum.* 198
Cap.16. *De ore draconis.* 37
Actor.14. *Et ego homo ſum.* 197
Actor.14. *Veni Ieruſalem.* 203

REGESTVM.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnes ſunt duerniones, præter ✠ & Ff quæ ſunt terniones.

ROMAE,

Ex Typographia Alfonſi Ciacconi.

MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

9-2

71

Digitized by Google